DE IOVE DOLICHENO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

SCRIPSIT

DR. FELIX HETTNER.

BONNAE
APVD AEMILIVM STRAVSS.
1877.

DE IOVE DOLICHENO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

SCRIPSIT

Dr. FELIX HETTNER.

BONNAE

APVD AEMILIVM STRAVSS.

1877.

TYPIS CAROLI GEORGI, VNIV. TYPOGR.

FRANCISCO · BVECHELERO

HERMANNO · VSENERO

D · D

Inscriptiones monumentaque, quae Iovi Dolicheno dedicata sunt, Seidelius[1] non ita collegit et tractavit, ut interius inquirens nihil ultra appetas desideresve. Admirabili quidem diligentia monumenta, quot tunc nota fuerunt, ille congessit, sed non solum multa aut ad alios deos pertinentia aut commenticia in collectionem recepit et omnia perversissime divisit, sed etiam inde ab illo tempore nonnulla rectius, haud pauca primum edita sunt. Nec ea, quae Seidelius de Dolicheni natura cultusque propagatione disseruit, copiosius aut omni ex parte vere disputata sunt. Quam ob rem idem argumentum retractare non esse supervacaneum duxi. Primo igitur commentationis capite quaecumque de dei effigie et natura, de cultus per terras commigratione, de aetate, qua imprimis cultus sit, cognoverim explanabo; altero deinde inquiram, num monumenta a viris doctis pro Dolicheni sacris habita re vera ei oblata fuerint atque num sincera sint; tertio denique inscriptiones, statuas, ectypa, quae Dolicheno sacrata aut cum eius cultu conexa sunt, collecta proponam atque explicata. Vt titulorum urbanorum veras scripturas exhibere, loca, ubi inventa sunt, accuratius indicare, interpretamenta addere potuerim, Henzeni summa factum est liberalitate, qui CIL VI partes ad Dolichenum spectantes, quas Th. Schreiberus accuratissime in meum usum transcripserat, foras dare mihi permisit[2].

---

[1] *Ueber den Dolichenuskult* et *Nachträgliches über den Dolichenuskult* ex actis minoribus Vindobonensibus phil.-hist. class. XII p. 4 et XIII p. 233.

[2] ipso Henzeni libro his ipsis diebus edito uti non potui nisi in corrigendis typographi speciminibus.

I.

Iovem optimum maximum Dolichenum inter Syriacos deos apud Romanos imprimis cultum esse magnus, qui extat, donariorum huic deo oblatorum ostendit numerus. Quem Doliche, Commagenae oppido, profectum esse non solum tres tituli Dacici[1] testantur, in quibus ille aeternus deus Commagenorum nominatur, sed etiam Stephani Byzantii locus (s. v. *Δολίχη*) qui scribatur[2]: *ἔστι καὶ Δολίχη πόλις τῆς Κομμαγηνῆς· ἐθνικὸν Δολιχαῖος, ἀφ' οὗ Δολιχαῖος Ζεύς· οἱ δ' ἐπιχώριοι Δολιχηνός λέγουσιν.*

Deus sic fere solet sculpi: stat in tauro dextrorsum verso barbatus, caput vestitus pileo, lorica indutus, paludamento amictus, ocreatus, soccatus; in sinistra tenet fulmen, in dextra elevata bipennem; praeterea in plerisque monumentis fictae sunt aquila et Victoria deum coronatura. Itaque

---

[1] qui infra in titulorum collectione proferentur sub n. 3, 4, 5.

[2] traditur: *ἐθνικὸν Δολιχαῖος Ζεύς· οἱ δ' ἐπιχώριοι Δολιχηνοί λέγονται.* In his verbis iam Iahnius (*Münchener gelehrte Anzeigen* 1854 p. 630) offendit, qui cum titulis tum nummis (qui praebent *ΔΟΛΙΧΑΙΩΝ*) demonstrari putavit Dolichenum appellatum esse deum, incolas Dolichaeos. Sed sensum loci omnino non perspexit. Nam Stephanus si dicere voluisset 'incolas nominari Dolichaeos', usus esset verbis *οἰκήτορες, πολῖται, ἐνοικοῦντες, δημόται*; at *ἐπιχώριοι* verbum non usurpavit nisi ubi incolas oppositurus erat iis, qui eam terram non habitarent. Deinde si contuleris tales locos ut *ἐθνικὸν Ἀδραστεύς· οἱ δὲ ἐπιχώριοι Ἀδραστηνός ὡς Κυζικηνός φασίν. — Ἄδροττα· οἱ οἰκήτορες Ἀδροττεῖς· δύναται καὶ Ἀδροττηνός καὶ γὰρ ὁ τύπος τῶν Ἀσιανῶν καὶ οὕτως οἱ ἐπιχώριοι λέγουσιν. — Ἀβασηνοί* et alios, non dubitabis, quin hoc quoque loco typus Graecorum oppositus fuerit Asiano. Quam ob rem pro *λέγονται* scribendum est *λέγουσιν*, quod iam Meinekius proposuit quamvis dubitanter, et *Δολιχηνός*. Deinde cum Stephanus non soleat verbo *ἐθνικὸν* exemplum adscribere (*ἐθνικὸν: Δολιχαῖος Ζεύς*), Wolffio (de noviss. orac. aetate Berol. 1854 p. 25) assentior, qui tradita verba statuit contracta esse ab epitomatore ex: *ἐθνικὸν Δολιχαῖος ὡς Δολιχαῖος Ζεύς* nisi quod similibus locis nisus *ἀφ' οὗ* malim.

etsi forte oppidum quispiam e nomine collegerit conditum esse a Graecis, deum esse imago docet e numero Syriae Assyriaeque deorum in bestiis aut sedentium aut stantium, qui saepius nummis et monumentis repraesentantur.

At utrum ille vetustis diis in Syria cultis adnumerandus sit, an quod viri docti proposuerunt omnium recentissimus sit non video, quo modo hodie possit diiudicari. Neque enim quod Doliche oppidum non commemoratur apud scriptores antiquiores Ptolemaeo (V. 15, 10), qui 'scripsit imperatore Pio potius quam Marco' neque quod huius oppidi nummi non reperti sunt cusi ante Marcum et Verum, quo sit tempore oppidum conditum indicio est. Neque e figura dei quidquam erui potest. Sane illa effigies, quam pleraque ectypa et statuae praebent, Graecorum demum atque Romanorum opera orta est, qui deo paludamentum et loricam dederunt eumque Iovi similem finxerunt. Atque talem effigiem Dolichae quoque in templo stetisse ostenditur, ni fallor, similitudine monumentorum, quae in locis eruta sunt diversis. Sed ibidem vetustius quoque simulacrum fuisse credo probari figuris in infima tabulae alterius Lussoniensis (n. 14) parte expressis, quae positae sunt in duabus illis bestiis inter se conexis, quas persaepe repraesentant nummi orientales (cfr. Fellows *coins of ancient Lycia* tab. IX 9 et 10) simillimaeque sunt deorum Hierapolitanorum simulacris (cfr. Seidl tab. VI. 6). Nam si illos deos, quorum superior pars congruit cum Dolicheni imaginibus, quorum capita pileo tecta sunt, qui in sinistra fulmen tenent, pro Dolicheni simulacris recte habeo, quis negabit hoc dei simulacrum vetustate antecedere ei, quod plurima monumenta praebent?

Hoc loco ut commemorem quaecunque de Dolicheni imaginibus scimus, ex eadem eiusdem tabulae, quam supra indicavi, parte deum sine tauro fictum esse apparet. Nego enim deum in aedicula stantem eadem effigie eademque forma incisum atque Dolichenum in superiore eiusdem tabulae parte alio modo facile explicari posse. Similiter deus repraesentatus fuisse videtur in frusto Pestinensi (n. 17). In tabulis duabus aheneis (n. 41 et 42) deus neque in tauro stat neque lorica ocreisve indutus est neque bipennem tenet,

sed eodem modo fictus est atque Romanorum Iuppiter. Quod mirum non est; namque Serapidis quoque apud Romanos effigies cum Plutone congruit.

Quod ad nomen attinet, Dolichae a Dolichenis deus certo non invocatus est Dolichenus[1], sed domo demum deductus nomen accepit ab urbe, unde ortus erat, ut Heliupolitanus deus ex Heliupoli avectus, Damascenus Damasco. Domi quomodo appellatus sit plane ignoratur; certum tamen est eum fuisse Belum. Id primum inde colligas, quod in plerisque inscriptionibus Iuppiter ille nominatur, quod nomen et Graeci et Romani Belo indebant (Movers *Phönizier* I p. 175), atque ut Belus et Solem et Saturnum Martemque planetas significat, ita Dolichenum Solem esse docent et taurus, in quo stare solet, et corona radiata, qua bis (n. 61, 84) ornatus est et nomen 'Sol praestantissimus' quod habet in titulo urbano n. 72 eumque planetam quoque esse demonstrat stella in tabula Pannonica iuxta dei caput incisa (cfr. *Litter. Centralblatt* 1854 n. 32). At de dei natura atque indole accuratius agere nec volo nec queo.

Deo obversa adspicitur in plerisque monumentis dea Iunoni figura similis, posita in ibice in ectypo Lussoniensi (n. 14), in caprea in Virunensi (n. 27), in cervo in urbano (n. 84); item in caprea stans Isidi specie proxima in infima tabulae Heddernheimiensis parte (n. 35)[2]. His tabulis ectypum adnumero, quod deam solam in cervo collocatam praebet, ex quo tamen qui cum huius donarii inscriptione contulerit gemellam n. 82, intelleget cum hac dea Dolichenum aliquo modo cohaerere[3]. Quamquam in nullo horum monumentorum inscriptio servata

---

[1] hae nominis formae inveniuntur in titulis: Dolichenus: 8. 28. 30. 37. 38. 41. 43. 47? 50. 52. 54. 55. 62. 64. 73. 75. 77. 80. 81. Dolicenus 29. 32. 53? 57. Dolic 1. 6. 15. 26? Dolchenus 79. Dol 2. 12. 17. 18. 25. 33. 34. 59. 63. Dolichinus 56. Dolichynus 44? Dolychenus 46. 83. Dulc 5? Dulchenus 14. Dulcenus 16. Dolochenus 51. 70. Dolocenus 19.

[2] cfr. n. 48.

[3] de monumento a Ligorio ficto (cfr. Muratori 34, 4. Seidl tab. IV, 3; extat in Duperaci quoque schedis) bene egit Froehnerus (*les musées de France* p. 35).

est, ex qua quomodo dea a Romanis appellata sit apertum fiat, dubium tamen collatis titulis esse nequit, quin ei nomen Iunoni fuerit. In Britannico enim titulo n. 44 Dolichenus et Iuno coluntur, in urbano n. 72 Iuppiter optimus Sol praestantissimus D(olichenus) [aut dignus] et Iuno sancta prae aliis diis invocantur; titulus n. 83 Iunoni sanctae iusso Dolycheni oblatus est. His addere licet donarium n. 73, quod Paezon, quem Dolicheno deditum fuisse constat, Iunoni Reginae dicavit. Atque hoc nomen deae Romani dederunt, quod Iovi est coniux et figura fortasse, quam Dolichae habuit, haud dissimilis fuit Iunonis Romanorum imagini. Attamen dea, quae in cervo similibusve bestiis stat, Dianae quoque Romanorum propinqua fuit, quam ob rem eam Froehnerus (*les musées de France* p. 36) appellavit Dianam Asiaticam. Quam sententiam, ni fallor, comprobat titulus Amiterni erutus (IRN 5763 = Orelli-Henzen 5710 a) //ΚOPSTVRIV.. | Deanae Syr[iae] v. s. l. m. — Hanc, de qua agimus, deam non esse deam Hierapolitanam, quae dea Syria vocatur[1], eo certissimum est, quod nihil cogitari potest, cur, quae alias in leonibus sedeat, in hoc cultu semper cervo aut simili bestiae insistens ficta sit. Sed sicut cum dea Hierapolitana deus coniunctus est et cum Heliupolitano deo dea, ita quin una cum Dolicheno Dolichae quoque dea culta fuerit non video cur dubites.

Ex aliis diis, quibus una cum Dolicheno tituli positi sunt, Heliopolitanum tantum Iovem commemoro. Duo extant tituli Pannonici, in quibus hi dii coniuncti nominantur n. 16 I. o. m. Dulceno Heliopolitano et n. 20 I. o. m. D et I. o. m. H... ex iuso numinis positi. Maxime illo titulo, quem priore loco attuli, probabile fit Dolichenum et Heliopolitanum in unum quasi deum coactos esse, nam non solum deorum nomina particula et omissa proferuntur, sed etiam lapis, cui titulus incisus est, basis statuae fuisse dicitur; atqui duos simul deos in eo collocatos fuisse parum credibile est. Id si recte disputatum est, titulo quoque demonstratur deos illos peregrinos a Romanis inter se coniunctos et commixtos esse, quod

[1] ut proposuit Henzenus *Bull. dell. inst.* 1856 p. 110.

factum esse facile observatur ex monumentis veluti ex iis, quae edita sunt apud Montfaucon *ant. expl.* t. II 2 pl. 190, 7 (inde Seidl. tab. V, 1 cfr. Froehner l. c. p. 27 adn. 3) et *Archäol. Zeitg.* 1854 tab. 65 (Braun *Bonner Jahrb.* XXXII p. 93).

Iam si quaeritur quomodo Dolicheni cultus per imperium Romanum propagatus sit, a legionariis et negotiatoribus imprimis eum disseminatum esse statuit Seidelius, argumentis non appositis.

Atque negotiatores equidem puto permultum contulisse ad deum propagandum. Syri enim per totam terram tunc notam negotiabantur. Ita Apuli videmus (n. 7) negotiantes Dolicheno donarium posuisse. Salonis servatur titulus (CIL III 2006) qui Syrum aliquem mercaturam Salonis Sirmium fecisse probat. Apud Lugudunum eruta est memorabilis inscriptio[1] (Wilmanns 2498 = *Bull. dell. inst.* 1867 p. 204) Canatheni, qui Luguduni venditabat merces in provincia Aquitania emptas. In Hispania quoque Malacae extitisse corpus negotiantium Syrorum colligas ex inscriptione (CIL II p. 251) *πάτ[ϱ]ωνα [καὶ πϱοστ]άτην τοῦ [ἐν Μαλάκῃ] Σύϱων τε κα[ὶ......]νῶν.* Imprimis autem in Italia mercatura eorum floruisse videtur. Puteolis enim mercium mutandarum causa stationem habuerunt non solum 'Berytenses, qui Puteolis consistunt' (IRN 2488), sed Tyrii quoque, ut epistola illa testatur, quam qui vocantur *οἱ ἐν Ποτιόλοις κατοικοῦντες Τύϱιοι* sub M. Aurelio ad Tyrum metropolim scripserunt (Mommsen *Berichte d. sächs. Gesellsch.* 1850 p. 59 = CIG 5853). Eadem affert testimonium Romae quoque Tyrios constitisse. Gazenses denique Ostiam merces suas portasse comprobatur titulo CIG 3892. Atque hos stationarios coluisse patrios deos ostendunt tituli. Berytenses enim se nominant 'cultores Iovis Heliopolitani Berytenses', et in Tyriorum epistula leguntur verba: *ἀναλίσκοντες εἴς τε θυσίας καὶ θϱησκείας τῶν πατϱίων ἡμῶν θεῶν ἐνθάδε ἀφωσιωμένων ἐν ναοῖς.* Etsi igitur

---

[1] hic est sensus non dubius Graeci tituli: *[ἐς πϱ]ᾶσιν ἔχων ἐνπόϱ[ιο]ν ἀγοϱασμῶν [με]στὸν ἐκ Ἀκουιτανίης ὧδ' ἐπὶ Λουγουδούνοιο.* Latinus traditur: negotiatori Luguduni et prov. Aquitanacica. Sed nonne in lapide est ex?

Apuli tantum Syrorum mercatorum extat donarium, tamen ut Heliupolitanum Tyriorumque deos a Berytensibus et Tyriis advectos esse constat, ita Dolichenum a Commagenis propagatum esse conicias.

Legiones quoque dubium non est quin cultum disseminaverint, quas dum multos annos in oriente morabantur, orientalium mores et cultus induisse testes sunt 'tertiani illi orientem solem salutantes' (Tac. hist. III 24). Earum tamen vis a Seidelio aliisque nimio pluris opinor aestimata est. Audias enim ipsum Seidelium sic fere dicentem de titulo Germanico n. 30, quem posuit centurio legionis VIII Augustae ex aquilifero legionis I adiutricis. Hunc enim militem dicit ille legionem VIII, cum in eam traduceretur, adulaturum Dolicheno donarium dedicasse, qui deus cum rebus a legione gestis coniunctus sit. Augusto enim imperatore huius legionis veteranos Berytum ut colerent deductos esse. Sed quid legioni cum illis colonis? Quid colonis Berytensibus cum deo Commagenorum? Atque eadem de causa nihil facit ad quaestionem diiudicandam enumerare legiones, quae in Syria meridionali Arabiaque tetenderunt. Hae enim si cultum secum portaverunt, illarum regionum deos, non Dolichenum divulgaverunt. Sola hoc loco commemoranda est legio XVI Flavia firma, quae meruit in Commagene. Hanc ad cultum propagandum permultum conduxisse ob perpaucos, qui extant, huius legionis titulos probari quidem nequit, credet tamen, qui considerarit centuriones ex ea in alias legiones transpositos esse (cfr. CIL III 1044) nonnullosque milites stipendiis confectis in patriam rediisse. Quamquam tenendum est illis temporibus, de quibus agitur, cum legiones compositas esse magnam partem ex iis, qui e regione, ubi legiones castra habebant castrisque ipsis nati sint, tum eos, qui ex alienis terris venerint, missione accepta ibi fere, ubi meruerint, vitam exegisse. Denique ne nimium legionariis attribuas, in legionibus, quae in Europa morabantur, non multos Syros stipendia fecisse commemorandum est.

Quamquam omnium maxime Commagenorum cohortes, quas non minus sex fuisse constat, puto cultum divulgasse, quas cum componerentur re vera ex Commagenis conscriptas

esse in propatulo est; non est igitur dubium, quin quocunque veniebant, eo deum patrium secum duxerint. Atque tunc quoque, cum procul a patria locum cepissent, cohortibus e patria homines de more adductos esse docet titulus Africanus (Renier 3930) positus tribuno, qui mortuus erat, dum deducit ex more Bessos mille in Tingitanam provinciam [1]. Sed e provincia quoque, in qua meruit cohors, aliisque e terris (cfr. Mommsen CIL III p. 916) milites legebantur. Iam vero luce clarius est facillime fieri potuisse, ut ii, qui cum illis Syris in una eademque cohorte per multos annos stipendia faciebant, Syrorum cultum asciscerent.

Denique cum peregrinorum deorum sacerdotes quoque cultum suum quantum potuerint divulgandum curasse notum sit, Dolicheni quoque cultores illorum opera haud paucos factos esse ei probabitur, qui permagno illo sacerdotum numero, quos deae Syriae cultu functos esse auctores tradunt, non minorem Dolicheno apparuisse ex titulis votivis et sepulcralibus [2] intellexerit. Nimirum e titulis non elucet, num qui dedicaverint, sacerdotum monitu illum cultum susceperint, hoc tamen comprobatur iis, gentem, ex qua magna ex parte sacerdotes Dolicheni orti sunt, per totam terram spar-

---

[1] Harster: *Die Nationen des Römerreichs in den Heeren der Kaiser* p. 49.

[2] hi enim noti sunt: 3. Marinus Mariani f. bas sacerdos. 4. Aurelius Marinus, Addebar Semei, Oceanus Socratis sac. 8. Aelius Valentinus vet. sac. 12. Aurelii Sabinianus, Maximus, Apollinarius. 22. Antiocus et Marinus. 26. Bellicus Marini f. 38. Arcias Marinus. 55. Aurelius Germanus Barlaha. 61. L. Aur. Valerius. In n. 65 Aurelius Antiochus solus sacerdos nominatur, sed cum ex verbis, quae praescripta sunt 'pro salute sacerdotium et kandidatorum et colitorum. Quos elexit I. o. m. D. sibi serviri', tum e muneribus, quibus fungebantur, elucet et a Mommseno observatum est hos quoque inter sacerdotes recipiendos esse: Acacium notarium, Olympium patrem, Aurelium Magnesium, Aurelium Serapiacum, Antonium Marianum M. Iulium Florentinum principes huius loci, Aur. Severum vet. curatorem tempuli, Gemium Felicem et Vibium Eutychianum lecticarios dei. — 67. Fonteius Eutychus scriba. 71 et 72. G. Fabius Germanus sac. 74 Sopatrus, Marinus, Calus. 79. Aurelius Teatecnus fil. Hela sac. 82. Iul. Ael. Aur. Iulianus sac.

sam cultum secum duxisse. Inter Dolicheni enim cultores multi nomen 'Marinus' gerunt[1]. Et sunt quidem hi:

n. 3	(in Dacia)	Marinus Mariani[2] sac.
n. 4	"	Aurelius Marini sac.
n. 22	(in Pannonia)	Marinus sac.
n. 26	(in Norico)	Bellicus Marini fil. sac.
n. 32	(in Germania)	C. Iulius Marinus 7.
n. 38	"	Arcias Marinus sac.
n. 65	(Romae)	Antonii Mariani princeps huius loci (sacerdos). Idem cum patre aut cum filio commemoratur n. 68: Antonii Mariani pater et filius.
n. 74	"	Marinus sac.
n. 77	"	C. Iulius Marinus miles.

Quamquam cognomen 'Marinus' apud Romanos usitatum est, in Dolicheni tamen titulis multo saepius invenitur, quam ut casu illud factum esse cogitari possit, cum praesertim non minus septem sacerdotes hoc nomine insignes sint. Certissimum igitur est, illos Marinos cum Dolicheni cultu aliquo modo coniunctos esse. Et quidem barbaros illos fuisse nomina docent, qualia sunt Marinus Mariani, Bellicus Marini filius, Arcias Marinus nec refutatur gentiliciis, quae ii, qui civitatem acceperunt, addunt. Quaerenti vero, quonam ex populo illi, qui in toto orbe inveniuntur dei Syriaci cultores, oriundi fuerint, quid probabilius esse videtur, quam Syros illos fuisse? Solent deinde ipsi sacerdotes eiusdem populi esse atque deus, quem colunt; atque inter Dolicheni quoque sacerdotes multos Syros fuisse testantur nomina ut Arcias, quod cognomen revocat in memoriam Archiam poetam Antiochensem, Addebar Semei, Barlaha, Antiocus, Antonius Antiochus; praeterea cum in Graecia ne unum quidem Dolicheni donarium erutum sit, frequentes illos sacerdotes, qui Graeca nomina habent veluti Oceanus Socratis, Aurelius Magnesius, Aurelius

---

[1] id iam observaverunt Braunius: *Jupiter Dolichenus* p. 5 et I. Becker *Heidelberger Jahrbücher* 1854 p. 496.

[2] de forma nominis cfr. infra ad n. 3.

Serapiacus, Vibius Eutychianus, Fonteius Eutychus, Sopatrus, Calus, Aurelius Teatecnus f. Hela, maxima ex parte Syriacos Graeculos esse veri est simillimum. In Syriae quidem inscriptionibus non saepe legitur illud nomen, sed commemorare licet Marinum Procli discipulum ex Flavia Neapoli oriundum, Marinum mathematicum Tyrium, Marinam natione Syram (IRN 3246), Vlpium Marinum et Claudium Marinum, quos eadem natione probabile est fuisse atque eum cuius heredes sunt (IRN 2766). Quae cum ita sint, illam sacerdotum gentem — verum num illi C. Iulii Marini alter Germanus, alter urbanus eiusdem gentis sint ambigo — a Commagene ipsa profectam esse atque deum suum quocunque devenerunt, secum duxisse probatur. At gentem non recte dixi Marinorum. Nam ut per se patet docetque titulus n. 28 (Bellicus Marini f.) non omnibus illius familiae hominibus nomen Marinus erat[1]; itaque illos imprimis, qui sacerdotio destinabantur, eo ornatos esse statui fortasse potest. Denique nomen utrum sit Syriacum Latine transformatum, an Syraci nominis Latina versio[2], hanc quaestionem, ut solvatur, delego doctioribus.

Cum vero, quomodo Dolicheni cultus in singulas venisset provincias demonstrare niteremur, certi non multum nobis eruere contigit. Quae tamen effecimus, haec fere sunt.

In Dacia duae si non tres Commagenorum cohortes morabantur. Cohors I Flavia Commagenorum, cuius tegula eruta est prope Reškam (Eph. II 470), meruit in Dacia certo anno 157 (Dipl. XL). Num tertiam quoque ibi versatam esse putes, pendet ab interpretatione tituli n. 955 prope Heviz reperti. Alteram vero cohortem in maximis illis castris stativis[3],

---

[1] fortasse alii quoque ex sacerdotibus, qui nobis noti sunt ex eadem gente sunt, ut Sopatrus et Calus, qui cum Marino in titulo urbano n. 74a nominantur. Nam nescio an compendium F͡R, quod post nomen Calus legitur, solvendum sit FRatres.

[2] fortasse Oceani sacerdotis (n. 4) nomen ad idem verbum Syriacum revocandum est.

[3] in castris Veczelianis duo Heliupolitani tituli (III 1353 et 1354), unus Deae Syriae (Eph. II 426) eruti sunt. Si titulum: DEA SYR/ | M·VLPIVS | PHOEBVS | L·P | contuleris cum CIL III 1348 item in vico Veczel eruto, quem Ad. Veradi sic exscripsit:

quorum ruinae ad vicum Veczel adhuc conspicuae sunt, per longum tempus tetendisse ab Hadriano (CIL III 1371) certe usque ad annum 245 (1379) manifesto ostendunt novem tituli ibi reperti: 6267 (in quo commemoratur Aurelius Surus et Aurelia Sura), 1343, 1347 = Eph. II 423, 1355, 1371—1374, 1379. Quas cohortes, etsi ne unus quidem titulus Dolicheno ab earum milite positus repertus est, patrium cultum non negabis secum tulisse, militibus, qui in iisdem castris substiterunt, communicasse, in alios quoque locos, ubi per vexillationes versabantur, divulgasse. Ille enim cultus, cum saeculis Christum sequentibus totius imperii homines ad deos orientales colendos inclinarent, inter omnes provincias facillime in Dacia locum occupare potuit, quod Traianus victa Dacia, quae diuturno bello Decebali viris fuerat exhausta, ex toto orbe Romano teste Eutropio (VIII, 6) infinitas eo copias hominum transtulit ad agros et urbes colendas. Ab hac igitur, quae undique convenerat, turba multo facilius divinus ille advena admissus est, quam ab incolis, qui deos patrios antiquitus colebant. — Sed per ipsos quoque colonos potest illatus esse Dolichenus. Ex Asia enim[1], quam nos vocamus, multos convenisse probant Napocae (III 860 anni 139—161) et Germisarae (III 1394) consistentes Galatae Napocenseque Asianorum collegium cum suo spirarche (870 anni 235), et verisimile fit propter deos hac in provincia cultos Paphlagoniae Glyconem (1021 et 1022), Galatiae Tavianum (1088 cfr. 1503), Cariae Erusenum (859), Sardendenum (Eph. II 410),

---

O M
MVLN
HOEPV
L·P

non dubitabis, quin hic quoque ab eodem M. Vlpio Phoebo positus sit. Iam cum certum sit Phoebum diis Syris deditum fuisse, forte scribendum est I·O·M·H aut I·O·M·D, quod collocatione quoque litterarum videtur probari.

[1] de hac re egerunt: Henzen *Bull. dell. inst.* 1848 p. 129. Mommsen CIL III p. 169. Hirschfeld *Epigraphische Nachlese zum CIL III* in actis minor. ac. Vindob. a. 1874 vol. 77.

Palmyrae Hierobolum (1108), Edessae Azizum bonum puerum phosphorum (875. 1130—1308). — Ampeli Commagenorum, qui Dolichenum colebant, collegium constitisse tituli ibi eruti, nisi egregie fallor, certissime demonstrant. In tribus enim ex quattuor titulis, qui hic innotuerunt, Dolichenus appellatur 'aeternus deus Commagenorum', quod additamentum ceterorum ne unus quidem praebet. Atqui Dacos aut Commagenis exceptis cuiusvis populi homines deum sic invocasse mihi persuadere nequeo, nam quicunque deum colit, eum tanquam suum colit. Hi Commageni, qui Ampeli consistebant, utrum ullo modo cohaereant cum altera Commagenorum cohorte, cuius veteranos cogitari potest stipendiis emeritis Ampeli, quod oppidum abest a vico Veczel quinque fere milia passuum, consedisse, an a Commagene deducti eo sint ad agros colendos, non adtinet quaerere.

In Pannoniis quoque et Norico eum cultum floruisse cum e monumentorum, quae ibi prodierunt numero, tum maxime inde concludo, quod totius provinciae sacerdotes in sede sacrariorum provinciae Pannoniae inferioris (cfr. CIL III p. 432 et Eph. II 605) pro salute Augustorum donarium erexerunt Dolicheno. Quem huc credideris maxime e Dacia illatum esse. Marinos, qui Ampeli in collegio Commagenorum dei sacris fungebantur, Carnunti non solum, sed etiam Virni invenimus, et Ampelo ipso per multos illos Pannonios, quos certum est in Daciae fodinis laborasse, cultus in domos eorum potest invectus esse. Ampeli enim fuit sedes fodinarum. Negotiatores deinde merces importaverunt et exportaverunt atque legiones cohortesve ex altera provincia in alteram saepissime translocatae sunt[1]. Atque hic quoque versatos esse Syros colligas e Sirmiensi titulo 6443, Aquincensi 3490 (Surus ex regione Dolica vico Arfuaris), Brige-

[1] Itureorum cohors ab anno 167 (Dipl. XLVI) in Pannonia tetendit. Si prius in vico Veczel morabatur, quod quidem e titulo III 1382 non certo concluditur, adiuverit ut cultus transportaretur. Facillime enim sine dubio Syri illi Commagenorum cultum asciverunt. — Hemesenorum cohors per longum tempus Intercissae castra habuit cfr. Eph. 595—598. 600. CIL III 3331. 3334.

tionensibus 4331 (M. Aur. An[t]o[n]iano domo civitate Zeugma) et Eph. II 895 (domo Erapuli cives Surus) et ex nominibus 'Surus, Sura, Surilla' etc., quae persaepe leguntur in Noricis inscriptionibus.

In Raetia ut unus tantum compareret titulus, casu factum esse non crediderim, nam omnium imperii Romani provinciarum Europae saltem Raetia maxime pietate erga patrios deos praestitit. Mercurium enim et Apollinem praeter Iovem imprimis colebant atque adeo Mithrae, cuius cultus altero saeculo in toto orbe valde floruit, ibi donaria effossa sunt duo. — Dolicheni inscriptio (n. 28) inter Reginum et Boiodurum eruta anno 163 a veteranis cohortis alaeve posita est, cuius nomen mutilatum sic traditur:

. . ICAMA

Cum littera M quasi dubia in CIL exarata sit, non dubitavi restituere c(ohors) I F(lavia) Cana(thenorum). Quam cohortem tunc temporis in Raetia moratam esse testatur diploma LXI anni 166 (cfr. Eph. II p. 460), atque eam iisdem fere regionibus tetendisse, ubi titulus repertus est, ostendunt tegulae apud Regina castra et vicum Pförring erutae, quas Ohlenschlagerus bene explicavit (cfr. Eph. II 1005). Atque alia accedit causa, qua coniectura nostra corroborari videtur. Inscriptio enim, cum anni 163 eam esse consul indicet, inter omnia monumenta Dolicheno dedicata, Britannico n. 47 excepto, quod sacratum est inter annos 139—161, vetustissima est. Quae res mira per se, quoniam Raeti abstinebant a sacris peregrinis, eo magis offendit, quod hoc donarium non ab uno homine, sed a cultorum multitudine datum est. Hoc facilius puto explicari, si a cohorte aliqua Syriaca, quam si ab alius populi militibus titulum dedicatum esse statuamus. Sane Canatheni domi Dolichenum non coluerunt, sed tamen illum cultum facilius, quam alii adsumpserunt.

In Germania orientales dii maxime culti sunt in vico Novo apud Heddernheim, qui vicus non procul abest a Francofurto. Hic notissimae illae tabulae Mithriacae in duobus Mithrae sacellis erutae sunt una cum aliis huius dei donariis et tituli votivi Iovi Olbio a Seleuco (C. Rh. 1454), deo Casio ab Ovinio (1458) positi, denique sepulcralis Philadelpi

Cappadocis (1480). Hic Dolicheni quoque quinque sacraria terra extulit, sextusque Homburgi prodiit, quod non procul abest. — Sed neque Dolicheni inscriptionibus, quae a centurione Britonum, a milite ex cohorte II Augusta, a Iubentio Hispano dedicatae sunt, indicatur, quomodo ille cultus hunc locum occupaverit, neque ex ceteris, quae hic innotuerunt, ego quidquam concludere queo. Negotiatorum[1] sedem hic fuisse cogitaveris — extat lapis Mercurio Negotiatori datus — merces suas venditantium permagno militum numero, qui ut agros decumates tuerentur, in his regionibus castra stativa habuerunt. — In inferiorem Germaniam quomodo deus deductus sit, e Rigomagensi disceremus titulo, in quo ab Archia Marino Dolicheni sacerdote equitibus cohortis primae Flaviae anno 250 donum datum esse legimus, si cuius cohortis illi equites fuisset, certum esset. Quos esse Damascenos nuper in catalogo musei monumentorum Rhenanorum Bonnensis n. 73 nimis temerarie contendi titulis nisus, qui eos unquam in Germania tetendisse inferiore non demonstrant; nunc Commagenos esse Braunio (cfr. *Jupiter Dolichenus* p. 7) credo. Nam cum donum illud, quod cum Dolicheni cultu conexum fuisse demonstrant et lapidis forma et litterae praescriptae I · H · D · D, non singulis, sed omnibus cohortis equitibus sacerdos Dolicheni dederit, in illa cohorte dei Commagenorum cultum valde floruisse sequitur. Quam ob rem quid verisimilius est quam compositam eam esse e Commagenis? Atque prima Commagenorum cohors quominus tunc in Germania versata esse putetur, nihil impedit, cum eam nesciamus nisi anno 105 in Moesia inferiore (cfr. Dipl. XXII), anno 157 in Dacia fuisse.

In Gallia unum tantum Dolicheni donarium (n. 48) mihi notum est. Sed num ibi plura extent aut lapides servati sint, quibus qui deum huc importaverint, doceatur, non comperi, cum epigraphicis huius provinciae libris uti non potuerim nisi notissimis.

In Britanniam igitur transeamus. Hic octo titulos for-

[1] cfr. I. Becker: *Archiv für Frankfurts Geschichte und Kunst* VI (1854): *Die römischen Inschriften im Gebiete der Stadt Frankfurt* p. 7.

tuna ex terra protulit, unum Iscae, ceteros apud vallum Hadrianum atque ex his unum Magnis, ubi per longum tempus certe ab anno 124 (Dipl. XXX) meruit cohors I Hammiorum sagittariorum 'aliunde non nota, quam una cum dea Hammia, ut videtur, aut Hammiorum antiquarii Britanni (veluti Ioh. Hodgson *hist. of Northumb.* 2, 3. p. 205) rettulerunt ad urbis Apameae nomen Syriacum, quod Hama esse dicitur'[1]. Inter Syriae populos re vera huius cohortis originem quaerendam esse, inde elucet, quod vix casu factum est, ut eodem loco innotescerent duo tituli deae Syriae (n. 758 positus a praefecto cohortis I Hammiorum et n. 759), unus Heliupolitani, unus Dolicheni. Hanc igitur cohortem Dolicheni cultum Magnas induxisse quis est, qui neget?

Quod ad ceteras attinet provincias, in Hispania ne unum quidem huius cultus restat documentum. In Africa tres tituli eruti sunt; quam in provinciam ut cultus propagaretur Commagenorum cohortem VI Flaviam, quae ab anno 129 (Ren. 5; n. 1650 positus est intra annos 177—180) ibi tetendit, contulisse conicias, quamquam ii, quorum donaria reperta sunt, illam religionem videntur secum tulisse Roma, unde Memmius Vlpianus (n. 52) oriundus ubique in praetorio versatus est Flavius Maximus (n. 53), et Puteolis, unde Lurciam Putiolanam in matrimonium videtur duxisse Septimius Maximus (n. 53).

In Italiam Dolichenum a negotiatoribus potissimum importatum esse cum ex iis, quae supra de negotiatorum stationibus disputavimus, tum inde patet, quod in oppidis ipsis, quae ad mare sita sunt, ut Concordiae, Atriae, Ravennae, Histonii, ad portum Augusti plerique lapides inventi sunt. Praeterea in classibus quoque et Misenate et Ravennate (cfr. Harster l. s. p. 53) haud pauci homines natione Syri stipendia faciebant et innumerabilis paene Syriacorum servorum numerus in Italia iam liberae rei publicae temporibus morabatur. Atque notae sunt Syriscae illae copae, noti illi Commageni haruspices. At quid iuvat singula proferre?[2] Iuvenalianum illud:

[1] Huebnerus ad CIL VII p. 134.
[2] cfr. Friedländer: *Sittengeschichte* I p. 309.

Iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes
docet, quanta cum in Italia, tum maxime Romae fuerit Syrorum multitudo. Quae cum ita sint, ne doctissimus quidem singulatim explicare poterit, qui qualesque in Italiam cultum illum advexerint, sed id solum potest doceri, quantopere ille Romae floruerit.

In Aventino Dolicheni templum fuisse, ubi nunc est aedis S. Alexii, et multi illi tituli, qui ibi reperti sunt, certissime ostendunt et comprobat liber de regionibus, quo inter fines regionis XIII Aventinianae commemorantur 'thermas Syrianas et Decianas, Dolocenum[1], privata Traiana'. Quo in templo permultos Dolichenum coluisse cum monumentorum multitudo, tum permagna docet sodalitas, quae commemoratur in memorabili inscriptione n. 65. 'Huic enim loco attributi fuerunt 1) candidati et patroni aliquot, qui primum locum obtinent inter omnes et supra collegium magis sunt quam ex collegio; 2) notarius sive scriba (n. 67) quem observa nominari primo loco et quodammodo pro eponymo collegii magistro; 3) pater, qui nominatur cum scriba, sed loco secundo; 4) principes (cultorum opinor) aliquot; 5) curator templi, qui est aedituus; 6) sacerdos quo significatur fortasse victimarius; 7) lecticarii dei duo'[2]. — Hoc collegium maximam partem ex Syris compositum esse non solum tituli n. 65 scriptura[3], sed etiam cultorum nominibus probatur. Quos inter cultores, eos qui Graeca nomina gerant,

---

[1] Marinius (*atti* p. 538), qui primus hunc locum recte interpretatus est, in forma vocis offendit, quam corruptam esse putavit ex Dolocenium, Doloceneum. Dolocenum vero recte dici posse pro Doloceni templo Prellerus (*Regionen* p. 202) docuit exemplis ut Cererem, Vestam prolatis. Accusativus pendet a voce continet, qua incipitur unius cuiusque regionis descriptio. Forma Dolochenus aut Dolocenus ter invenitur in titulis, ex quibus unus (n. 70) in eodem templo Aventinensi erutus est. Cfr. quae Pellegrini *Bull. dell. inst.* 1868 p. 181 de thermis Decianis disputavit.

[2] haec est Mommseni adnotatio ad CIL VI p. 77, qui praeterea addit 'Candidati autem, cur dicantur nescio; nisi forte ita significatur ius eorum festos dies obire λευχείμονας. Cfr. Herodianus 8, 7'.

[3] cfr. quae ad illum titulum adnotavi.

cum ne unum quidem hominis Graeci e Graecia ipsa oriundi extet donarium, pro Syris habendos esse iam supra conieci et sacerdotum nomina enumeravi, quibus nunc addo colitores: Hermetem, Pannychiam, Cosmum, Andronicum, Thyrsum, Paezonem. — Nolo hoc loco non commemorare coniecturam per se ut videtur probabilem, tamen non sat probe fundatam, de cuius veritate iudicium nunc ferri vix posse puto. Heliupolitanum enim colentium collegium Puteolis commune habuisse sepulcretum docet titulus (IRN 2476) Hic ager iug. VII cum cisterna et tabernis eius eorum possessorum iuris est, qui in cultu corporis Heliopolitanorum sunt eruntve etc. Cum Aventinensi quoque templo coniunctum fuisse sepulcretum, inde concluserim, quod illo loco hic titulus sepulcralis Syriaci hominis erutus est: (Smetius 90, 15 in aede S. Alexii) C. Vettio C. F. Col. Nigro domo Antiochia Syria veterano leg. XII fulminat. milit. ann. XXVI, vixit ann. LVII ex testamento.

In Esquilino quoque monte Dolicheni monumenta comparuerunt. Iam diu notae sunt tabulae duae marmoreae (n. 74 *a b*) Commodo imperatore positae, quarum altera indicat Dolicheni sacrarium adampliatum esse curam agente Caecilio Rufo, altera eundem Caecilium Rufum tetrastylum, nymphaeum aliaque dedicasse. Has tabulas non longe a trivio, quod est ad S. Eusebium inter vias, quae ad portam maiorem et quae ad S. Crucem in Hierusaleme ducunt inventas esse etiamtum aedificio infixas Rossius demonstravit (*Bull. dell. instit.* 1858 p. 280) verbis Ficoronii allatis. Atque cum non solum in his titulis multi cohortis II vigilum milites[1], quam in regione V Esquilina castrum habuisse ex Notitia regionum scimus, commemorentur, sed etiam titulus Smetianus (56, 11) qui apud templum Minervae Medicae eruderatus est, ab eadem cohorte positus sit, illius cohortis stationem in area fuisse bene statuit Rossius, quae sita est inter templum Minervae et aedificium, in quo infixae fuerunt

[1] Caecilius enim fuit centurio leg. III Cyrenaicae ex corniculario praefecti vigilum dedicavitque per praefectum vigilum adsistentibus subpraefecto et trib. coh II vigilum.

tabulae Ficoronianae. Nuperrime in antiquo muro pessime constructo inter ecclesiam S. Eusebii et viam S. Laurentii altero loco permulta praetorianorum donaria maxima ex parte Iovi oblata effossa sunt, altero quattuor Dolicheni monumenta innotuerunt, ex quibus duo, quae inscriptionibus insignia sunt, a libertino et a milite classis Misenensis dedicata sunt. Quae qui foras dedit, Carolus Ludovicus Viscontius (*Bull. municipale* III p. 204—220), titulos et Ficoronianos et [Panvinianum] Smetianumque et quos a praetorianis positos Henzenus edidit et quae ipse publicavit Dolicheni donaria, omnia ad stationem coh. II vigilum contendit pertinere cum qua coniunctum fuisse dicit Iovis optimi maximi templum; in huius templi sacello Dolicheni monumenta stetisse. — Verum tamen ne diiudicem, quo iure Viscontius illud templum dixerit esse vigilum, cum in eo et vigiles et praetoriani et alii homines sacra dedicaverint, eius disputatione non explicatur, quod in hac re dignissimum est explicatu, cur altero muri loco praetorianorum tantum lapides effossi sint. Nam in templo donaria praetorianorum alio loco atque vigilum aliorumque hominum collocata fuisse nemo contendet. Deinde Ficoronianis quoque lapidibus, in quibus sacrarium, tetrastylum, nymphaeum Dolicheno sacrata esse dicuntur atque tres nominantur sacerdotes, in Esquilino Dolicheni templum extitisse verisimile fit, non sacellum. Nam illos sacerdotes, quibus nomina sunt Sopatrus, Marinus, Calus re vera Dolicheni cultu functos esse et Marini nomine probatur et aliorum nominibus Graecis[1]. Vt ut haec sunt, lapides, qui in illo muro reperti sunt, e diversis locis collatos esse puta, alios ut Mommsenus Henzenusque statuerunt, e praetorianorum aut templo aut 'schola', alios e Dolicheni templo. Quod templum situm fuisse censeo, ubi tabulae Ficoronianae in lucem protractae sint.

Cubiculum prope apsidem ecclesiae S. Mariae '*dell orto*' trans Tiberim sitae, ex quò n. 79 innotuit, utrum Dolicheni an alius dei templum fuerit incertum est. Fortasse in eodem templo olim posita fuerunt monumentum Frontini n. 80, quod

---

[1] cfr. p. 10 adn. 1.

apud S. Benedictum trans Tiberim vidit Marucius et donaria Heliupolitano (CIL VI 422) et Soli (CIL VI 709 et 755) data, quae Smeti tempore in templo Sanctorum Quadraginta martyrum et apud S. Caeciliam Transtiberinam collocata fuerunt. Quamquam in eadem regione nonnulla fuisse videntur orientalium deorum templa ita ut certum iudicium de iis ferri nequeat.

Quodsi de tempore quaeritur, quo imprimis Dolicheni numen adoratum sit, tituli qui certis annis tribui possunt, inter Commodum et medium tertium saeculum [1] illum floruisse docent. Tunc homines non subito ab illo deo descivisse et per se patet et demonstratur titulo n. 82, qui circa Gallieni (260—268) tempora positus est [2]. Quin cum Dolicheni templum commemoretur in Notitia regionum, quam saeculo quarto ineunte scriptam esse constat, deum etiam tunc eo loco celebratum esse verisimile est; quamquam templum licet novo usui destinatum pristinum nomen retinere potuit. — Atque crescentis quoque paullatim cultus adsunt certa testimonia veluti titulus Raeticus anni 163 et Britannicus intra annos 139—161 positus. Atque ex ceteris quoque titulis, qui non sunt certorum annorum, aliquot factos esse putaveris sub Pio et Marco imperatoribus, priore tamen tempore ullum positum esse argumentis probatur nullis [3].

In provinciis Dolichenum, si quae de cultu propagato exposuimus vere disputata sunt, inde ab illo tempore celebratum esse elucet, quo cohortes peregrinae advenerunt, velut

---

[1] n. 1, 18, 26, 30, 38, 40(?), 53, 56, 57, 62, 69, 71, 72, 74, 83.

[2] Falsissime Seidelius p. 23 titulos collectionis suae 22 (nostrae 16), 25 (qui Depulsori datus est), 26 (nostrae 21) annis 270, 291, 318 attribuit. — Pyramidem Lussoniensem n. 14 Desiardinius saeculo tertio exeunte aut quarto ineunte, statuam aheneam n. 24 Sackenus Diocletiano imperatore factas esse dicunt artis ratione commoti. Sed archaeologorum vel prudentissimorum scientiam artis Romanae, qualis in provinciis fuerit eo pervenisse nego, ut quidquam certi ex artis indole de tempore possit erui.

[3] M. Aurelio imperatore non priores esse concludas e nominibus titulos 7, 12, 13, 16, 20, 21, 54, 55, 61, 65—68, 79, 82, ex '*augg*' et '*impp*', qui commemorantur, titulos 15, 44, 60, 63, e scriptura titulos 8, 10, 48, 70, e formula *i. h. d. d.* titulum 45.

in Dacia et Britannia ab Hadriani aetate. Quem in eas prius, quam Romam deductum esse e titulis conatus est Seidelius demonstrare; quod hoc argumento comprobari videri potest, quia inter provinciarum inscriptiones altera anno 163, altera intra annos 139—161 dedicata est, cum ex urbanis, quarum tempus indicatum est, prima sit posita anno 191. Sed quoniam Iovem Heliupolitanum iam anno 117 a Puteolensibus (IRN 2488), Romae vero ante M. Aurelium Tyriorum deos Syriamque deam a Nerone notum est cultos esse, Romae primo iam saeculo nonnullos fuisse haud iniuria conicias, qui Dolicheno dediti essent. — Sed illo tempore utrum Dolichenus privatim cultus, an publice adscito templum aedificatum fuerit quaeritur. Atque hanc quaestionem ut diiudicem, examinanda sunt, quae de templo in Aventino sito disputaverunt Lanzianius (*Bull. dell. inst.* 1870 p. 85) et Iordanus (Hermes VI p. 320).

Lanzianius enim T. Flavium Cosmum, qui posuit titulum n. 70, eundem esse arbitratus atque Cosmum Augusti libertum a rationibus, qui commemoratur in plumbo in ecclesia S. Sabinae eruto [1], e nomine dedicatoris iam sub Flaviis imperatoribus Dolichenum in Aventino monte cultum esse concludit. Sed etiamsi in utroque titulo idem Cosmus nominatus esset, non demonstraretur, quod demonstraturus erat Lanzianius, cum Cosmum Augusti libertum a rationibus sub Marco et Vero munere suo functum esse constet [2]. Sed ne idem quidem est. Neque enim Cosmum Aug. libertum a T. Flavio imperatore libertatem accepisse verisimile est, cum sub Aureliis libertum Augusti tantum se nominet et alter Cosmus, qui titulum posuit, si fuisset Augusti libertus, ordinem suum indicasset.

Alterum argumentum idque multo gravius Iordanus protulit in commentatione de Deae Syriae templo, quod Romae fuit. Aventinense enim templum ante Claudium imperatorem conditum esse hanc ob causam contendit. Nonnul-

---

[1] legitur: COSMI AVG LIBARAT, cfr. Descemet *Annali* XXIX 1857 p. 69.

[2] Hirschfeld apud Friedlaenderum *Sittengeschichte* I p. 164.

lis argumentis probari legem, qua peregrinorum deorum templa iussum erat extra pomerium aedificari, altero quoque saeculo valuisse. Atqui templum Dolicheni situm esse in monte Aventino, quem a divo Claudio demum intra pomerii fines receptum esse constaret; templum ergo conditum esse cum Aventinus nondum fuerit intra pomerium.

Cui argumentationi non possum quin non assentiar. Namque ex ea ipsa re, quod Aventinum inter pomerii fines recipere non dubitavit Claudius, tunc in Aventino concludendum censeo nullius dei sacrum stetisse, qui peregrinus videretur illius aetatis hominibus. Deinde quamquam illam legem altero valuisse saeculo concedo, eam tamen ultra Hadriani aetatem obtinuisse probavit Iordanus neque scriptoris neque tituli testimonio. Neque per se verisimile est eam legem post illud tempum viguisse, quia Antonini favebant peregrinis diis. Quam ob rem cum inter titulos, qui ad Aventinense pertinent templum, n. 65—68 post Alexandrum Severum, n. 69 intra annos 198—209, n. 71—72 circa annum 244 positi, n. 70 et 73 incertorum annorum sint, nihil impedit, quominus Antonino Pio aut M. Aurelio imperatoribus illud templum aedificatum esse statuamus.

Num extra pomerium veluti in regione Transtiberina iam antea Dolicheni templa extiterint, aliquando fortasse lapidibus demonstrabitur, nunc statui nequit, cum de ceterorum quoque Syriacorum deorum cultu, quando Romae in templis coli coepti sint, nihil sciamus. Nam primo iam saeculo urbanum Syriae deae extitisse templum neque ex eo efficitur, quod Neronem illam coluisse testatur Suetonius (Nero 56) neque ex inscriptione a D. Veturio Sp. f. Philone cum suis filis Antigono et Albano posita, quae videtur esse saeculi tertii (CIL VI 116).

Sed etsi non contigit de initio cultus urbani certiora definire, Dolichenum saeculo altero et tertio a permultis totius imperii hominibus cultum esse multoque magis quam ceteros Syriae deos ex monumentorum numero apparet. Atque id mirum est. Namque in Syria ipsa dii Hierapolitani quorum in templis donaria Arabum, Phoenicum, Babyloniorum, Cappadocum, Cilicorum, Assyriorum posita fuerunt (de dea Sy-

ria 10), deus Heliupolitanus, cui praeclarissimum templum aedificavit Antoninus Pius, alii (cfr. de dea Syria, initio) multo celebriores fuerunt. Quorum tamen deorum in terris Romanis non multi lapides eruti sunt iique[1], quippe qui maxima ex parte positi sint a Syris, non demonstrant hos cultus aliarum quoque gentium hominibus placuisse.

[1] Deae Syriae oblati sunt hi tituli: in Dacia CIL III 956 (??), Eph. II 426, in Pannonia Eph. II 675, in Britannia 272, 758, 759, in Italia IRN 7258, Romae CIL VI 115 et 116 [Syracusis CIG 5372] — Heliupolitani sacra sunt: Heliupoli CIL III 138, cfr. add. p. 970, Beryti 157, in Moesia Eph. II 357 (??), in Dacia 1353 et 1354, in Pannonia (3908, 3462), 3955, Eph. II 900, in Germania C. Rh. 1408 [1685 Heliopolitano non datus est], in Gallia Orelli 1245, in Britannia 752 (753 ??), in Africa Renier 142, 143, Puteolis IRN 2475, 2476, 2488, Ostiae Wilmanns 75, Romae CIL VI 420—423. Praeterea commemoratur deus in nummis Heliupolitanis.

II.

Nonnulli tituli reperti sunt quibus notae tantum I·O·M·D praescribuntur. Ex quibus aliquot Dolicheno datos fuisse iam dudum intellectum est ex iis monumentis, in quibus eaedem litterae ipsius Dolicheni statuis incisae sunt.

Quae litterae num semper sic explicandae essent, ipse Seidelius p. 22 dubitavit, sed tamen non solum titulos notis, quas indicavimus, insignes, sed etiam I·O·M·D·D et I·D litteris ornatos sine ulla inquisitione recepit. Et profecto haec quaestio, quae est de istis titulis discernendis, difficillima est et saepe infructuosa neque vero omittenda atque a Mommseno in inscriptionibus CIL III explicandis incohata.

Complura quidem traduntur Iovis cognomina quae incipiunt littera D, ut Damascenus (IRN 2474; CIL VI 405), Defensor (III 1590 = Eph. II 446), Dianus (V 783), Divus (III 1086), Domesticus (C. Rh. 115)[1], Dominus (II 4442 et 4501). Quorum tamen deorum cultus cum floruisse non videatur, dissensurum neminem opinor, si ex illis de quibus agitur inscriptionibus ullam ad hos deos referendam esse negavero. Depulsoris[2] contra quattuordecim titulos habemus, qui eruti sunt singuli in singulis terris: in regione Italiae decima (V 2473), Luguduni (Boissieu I p. 3), in Hispania (II 2414), in Africa (Renier 25), in Dacia (III 895), in Pannonia inferiore (III 3269), quattuor in Pannonia superiore (III 4018, 4033, 4034, 4111), in Norico quattuor (III 4786, 5160, 5460, 5494). Quae cum ita sint, Illyricos potissimum titulos necesse est subtilissime a nobis examinari.

Neque vero multa argumenta praesto sunt. Neque enim e temporum rationibus quidquam collegi, cum ut Dolicheni ita Depul-

---

[1] in inscriptione Sabaudica (Hermes IV p. 283 = Wilmanns 2730) persuadere mihi nequeo recte Mommsenum explicare I o v i s D(o m e s t i c i). Nam cum omnia verba — et ipsum Iovis vocabulum — pluribus litteris notata aut plene scripta sint, verisimile non est, sola D cognomen dei indicari. D·X·I·D una esse mihi videtur formula, quae forsitan solvenda sit d(a r e) X·I· d(e b e t).

[2] in interpretamentis Montepessulanis p. 54 D e p u l s o r vertitur ἀλεξίκακος.

soris sacra saeculo altero exeunte et ineunte tertio (III 3269 annorum 212—217; 5460 anni 234?) posita esse videantur, nec pro imperatorum potissimum salute Prellero (*Römische Myth.* p. 186) credo Depulsorem invocari moris fuisse. Vnus enim inter quattuordecim extat lapides quem hac de causa dedicatum esse constat. Nonnunquam titulos minutiis observatis diiudicabis ut CIL III 4401 (coll. nost. 22) et Eph. II 401 (coll. nost. 7) qui utri dati sint Mommsenus ambigit. Vtrumque Dolicheno oblatum esse inde concludo, quod alter dono datus est sub sacerdotibus Antioco et Marino, quem e gente Dolicheni sacerdotali oriundum esse supra demonstravimus, alterum titulum negotiatores Syri consecraverunt. Nonne Syros Syriaco deo votum solvisse verisimile est? Sed in plerisque titulis notas explicandi via non patet praeterquam si e locis, ubi prodierunt, iudicium facere conamur. Atque ita de duobus non dubito, quin certo decernas, S. 24 = CIL III 4035 [1] dico et S. 25 = CIL III 4036 utrumque Poetovione in oppido Pannoniae superioris erutum. Ibi Dolicheni cultus ne vestigium quidem habemus, neque enim illic ullum huius dei monumentum aut Heliupolitani Deaeve Syriae, qui dei saepius simul propagati sunt, innotuit, neque legiones cohortesve, quas probabile sit religionem importasse, ibi collocatae fuerunt. Contra Depulsoris tituli effossi sunt tres: 4018, 4033, 4034, quibus addendus est 4111 ad Dravum infra Poetovionem repertus datusque a decurione coloniae Poetovionensium. Africanus quoque titulus (Renier 25) Iovi Depulsori, Genio loci M. Valerius Maximianus etc. testis est locupletissimus Depulsoris Poetovione celebrati. Nam Valerium cultum Poetovione secum duxisse docet titulus (Renier 1718) M. Valerio Maximiano .... pontif(ici) coloniae Petovionensium etc.

Ex ceteris titulis, quibus litterae I·O·M·D praescriptae sunt, quamvis de iis aeque certo iudicari nequeat, titulos Pannonicum S. 26 (coll. n. 21), Dacicos S. 28 (coll. n. 9), Eph. II 443 (coll. n. 10), S. 29 (coll. n. 11), Brixianum (coll. n. 58), Bononiensem S. 20 (coll. n. 59), Ravennatem S. 33 (coll. n. 60) in regionibus effossos, ubi Dolicheni cultus vigebat, donariis deo Syriaco sacratis adnumerare non dubitavi. Viruni autem unus Dolicheni, unus Depulsoris comparuit, quam ob rem Virunenses lapides S. 31 (CIL III p. 1046 ad n. 4791 et Eph. II 945), S. 47 (III 6015, 4), CIL III 4790 e collectione mea arbitratus sum excludendos esse, imprimis titulum S. 31 qui una cum Depulsoris (CIL III 4786) sacro in praedio Töltschach repertus est.

Litteras singulares I·O·M·D·D (S. 38 et 42) et I·D (S. 50 et 51), quas explicaverat Seidelius Iovi optimo maximo deo Dolicheno

---

[1]) Mommsenus adnotavit: I. o. m. d(epulsori?)

et Iovi Dolicheno, a Mommseno credo recte solutas esse I. o. m. dis deabus et Invicto deo. Ne longus sim, quas causas Seidelius lapicidarum grammatica doctrina nisus contra interpretationem supra memoratam, quae iam ante Mommsenum proposita erat, siglorum I·O·M·D·D protulit p. 76 nec commemorabo nec refutabo. Sed cum etiam ab Henzeno videam titulum Orellianum 4945 in CIL VI 419 explicatum esse: I(ovi) o(ptimo) m(aximo) D(olicheno) d . . . . , mihi dicendum est neque in ullo, quod Dolicheno constat dedicatum esse monumento, cognomina ei deo data esse, quibus hae notae probabiliter possint explicari, et interpretationem a Mommseno acceptam permagno lapidum Iovi optimo maximo dis deabus datorum numero et notis ut d(is d(eabus) o(mnibus) (cfr. III 4775, 5075, 5155) comprobari. Litteras I·D secundum usitatissimas notas D·I·M ad Mithram referre non dubitabit, qui sciet illum saepius invocatum esse 'invictum deum'.

Sed etiamsi excluduntur ex Seideli collectione monumenta, quae excludi iussi, multa tamen restant, quae aut iniuria ab eo ad Dolichenum relata aut plane falsa sunt. Quae expellere instituebant et Beckerus (*Heidelberger Jahrbücher* 1854 p. 492) et Froehnerus (*les musées de France* p. 27 adn. 1); sed cum ii removenda non removerint, removerint non removenda, nec causas, cur illud facerent, protulerint, quae mihi videntur eximenda quam brevissime tractabo.

Atque postquam denuo cum lapidibus collati sunt tituli, Dolicheno inscriptos non esse constat S. 53 = CIL III 4025 et S. 54 = CIL III 5183 Iovi positos, S. 49 = CIL 4015 Isidi datum. His addo S. 40 = CIL III 4760 cuius primus versus traditur I·O·M·DI. Sane cogitari potest de I. o. m D(olicheno) H(eliupolitano), sed etiam de emendatione DEp(ulsori) ut Mommsenus solvit aut I·O·M·D·D.

Deinde in verbis tituli S. 45 = IRN 4077, magisteri I(ovis) o(ptimi) m(aximi) p(raestantissimi??) d(. . . .) m(. . . .) s(ua) p(ecunia) p(osuerunt), illa d non Dolicheni, sed digni solvenda esse videtur. — In titulo Halingensi S. 56, qui traditur EIDEO· IOVI·VICVS·DOLVCENS CVVITATS· [nonne civitatis?] PRISC vicum ullo modo cum deo, de quo agimus, cohaerere credibile non est. — In ectypo Veronensi S. 55 quod L. Valerius, cui cognomen Arcano puto fuisse, posuit, iuvenis Phrygio more vestitus stat in equo, non ut Mommsenus adnotavit (CIL V 3321) in tauro. Equum testantur Maffei imago (mus. Ver. 1, 2, inde Seidelius tab. IV, 2) eiusque iudicium de Dolicheni nomine prolatum atque F. de Duhn, qui Veronae versatus lapidem contulit. Igitur dubitatio, num ille iuvenis neque armatus neque Iovi similis Dolichenus sit, novo confirmatur argumento, quoniam Dolichenus nunquam in equo stat. — Denique removenda est illa ara (S. 74), in qua nihil praeter securim incisum est. Doli-

cheni enim donarium, quod in Dolicheni templo positum fuit, securi sola insignitum esse cogitari potest. Sed cum hic lapis in Mithrae sacrario (cfr. *Nassauische Annalen* I, 2 p. 196 n. 8) effossus sit, securim ad Dolichenum referendam esse nego. Deinde fac ut securi sola Dolichenus designatus sit, necesse fuit insculperetur bipennis.

Accedunt multi tituli commenticii. Inter Seidelianos S. 52 = CIL V 469* fictus est ab homine stolidissimo; ceteri magis ob dubiam Ligorii auctoritatem, cuius sub nomine proferuntur, segregandi sunt, quam ob perspicua vitia. Quamquam sunt quaedam, quibus eos fictos interpolatosve esse demonstretur. Nam quis in S. 64 (Gudius III, 4 ex Ligorio) vocem Adioassuriteno commenticiam esse et Adiabeno prorsus non aptam Dolicheno negabit? Quis credet titulo S. 66 (Gudius III, 60 ex Ligorio) M. Trebonii MM(arcorum) lib(erti) Principis aeditui Portumni, cum nonnullae inscriptiones a Ligorio in honorem Portumni factae extent nec Portumnus, sed Portunus alibi deus nominetur. Praeterea si voluit Ligorius intellegi, quod intellexerunt viri docti: princeps aedituus, in eo quoque offendas, quod cognomen deest novumque apparet munus. De S. 67 (Smetius 18, 10, qui a Ligorio accepit) litterae singulares AR·V·V·D·D (falso Seidelius AR·V·C·D·D) suspicionem movent. In S. 65 (Holsteni notae in Steph. Byz. p. 102 ex Ligorio) Iovi optimo maximo Dolycheno ubi ferrum nascitur C. Sempronius Rectus cent. 7 frumentarius d. d. verba 'ubi ferrum nascitur' et 'cent' iuxta signum 7 positum genuina esse nequeunt. Nam quamquam legitur CIL III 1128 [Genio loci??] nato, ubi ferrum exo[ritur?], nemo tamen, licet fuerint ferrariae Dolichae, deum credet Romae sic esse invocatum. Sane quomodo Ligorio tale in mentem venerit additamentum nos quidem non intelleximus. Illa verba ab interprete in margine adnotata casu quodam in inscriptionis verba irrepsisse contendit Kandlerus (Seidl *Nachtrag* p. 19), sed quae de urbibus, quibus nomen Doliche est, confusis protulit, prorsus reicienda sunt. Nimirum ne inspexit quidem Strabonis (p. 327 C) locum, a quo pendet omnis disputatio, ut Seideli verba p. 7. pro Straboneis haberet. Quamquam non totam inscriptionem censeo adulterinam, sed interpolatione corruptam. Forma enim Dolycheno viris doctis saeculi decimi sexti aliunde nota non fuit. — De S. 63 (Gudius III, 5) tametsi certam, cur falsa sit, causam non video et Muratorius se eam accepisse dicit a Petro Paulo Ginannio, tamen inter genuina recipiendam non duxi, quod e nomine CERANIVS, quod alibi non legitur, a Ligorio Ginannium pendere conicio. Nec enim verisimile est utrumque e lapide CERANIVS pro SERANIVS aut CERENIVS transcripsisse. Falsis addas S. 39, qui inter Ligoriana traditur a Gudio solo

(II. 9) auctore non indicato, quem titulum adulterinum esse primus coniectavit Froehnerus.

Seidelio ignoti fuerunt tituli spurii, quos Mommsenus ad CIL III 3998 e schedis Kukuljevichii parum fidis et ad CIL III 1961 e schedis Gruteri Vrsinianis (cfr. Eph. I p. 74) rettulit.

Iam examinandum est, num vera sint monumenta a Froehnero nuper (*les musées de France* p. 27) e schedis Stephani Duperaci nunc Parisiis adservatis edita. Multa Ligoriana Duperacium tradidisse sciet qui vel obiter legerit Italicos corporis inscriptionum Graecarum titulos, et ipse Froehnerus non ex auctoris fide, sed e monumentis eorum fidem erat probaturus.

Monumentorum alterum est ectypum (nostr. coll. n. 80), quod Frontinium Nigrinum dedicasse indicatur inscriptione. Cuius lapidis notitia posita erat et in imagine ab Apiano (CCLXXII) tradita et in descriptione a Smetio (18, 8) data et in iis, quae de Pighi exemplari Jahnius adnotavit [1]. — Quae scripsit Smetius 'insculptus est bos et super eo stat deus ipse, sed supra umbilicum omnino mutilus' conveniunt cum Pighi imagine, ut dubium non sit, quin medio saeculo sexto decimo [2] superior dei pars mutilata fuerit. Quam tamen iam priore tempore deletam fuisse Apiani ostendi mihi videtur imagine anno 1534 edita, in qua taurum et deum usque ad umbilicum ex monumento effictos, superius autem dei corpus a pictore inventum esse apparet [3]. Contra quam Duperacius praebet imago integra servata est. In aedicula stat in tauro dextrorsum verso deus sinistrorsum versus, barbatus, corona radiata ornatus, loricatus, soccatus; cuius de sinistro umero pendet lacinia vestimenti, sinistra elevata tenetur bipennis, fulmen dextera. Hanc quoque superiorem ectypi partem, quae a Duperacio solo traditur, veram esse Froehnerus asseverat, ullum tum monumentum, ex quo bipennem tulisse Dolichenum disci potuerit, notum fuisse negans. Sane Duperacium ipsum, qui post Smetium et Pighium Romae versatus sit [4], ait ille ectypum ea, quam delineaverit condicione non vidisse, sed a Ligorio accepisse. — Quae quam falso Froehnerus disputaverit ut

---

[1] *Berichte der sächs. Gesellschaft* 1868 p. 194 n. 80.

[2] Pighius anno 1547 in Italiam profectus est, cfr. Jahn l. c. p. 163. — Smetius ibi versatus est intra annos 1545—1551.

[3] iam Iucundi temporibus superiorem ectypi partem mutilatam fuisse verisimile est, cum lapidem ille sic descripserit 'ubi taurus est sculptus habens supra se hominem stantem', cfr. CIL VI 418. — In Ligori quoque Neap. libr. 34 p. 17 adservata est imago.

[4] annus, quo Duperacius Romam venerit, incertus est; certo ibi fuit anno 1564. Mommsenus (*Berichte der sächs. Gesellschaft* 1852 p. 256) illas schedas anno 1578 attribuit.

intellegas, de altero monumento, quod ille e Duperaci schedis foras dedit, nunc mihi dicendum est.

Quo in monumento deus et dea ficti sunt. A sinistris in tauro dextrorsum verso deus stat priori simillimus, sed dextrorsum versus, inberbis, in dextra gestans bipennem, in sinistra fulmen. Avis dextro umero insidet, a quo vestimenti lacinia pendet. Vaginam praeterea vides pharetrae similem. A dextris in grandi basi, cui Graeca inscriptio incisa est, in cervo sinistrorsum verso dea deo obversa, sed illo minor collocata est, vestita longis vestimentis, caput ornata Lunae signo, in sinistra tenens sceptrum, in dextra, ut videtur, speculum; iuxta basim inter deos arula, in quà pinus est. — Quae dei et deae simulacra Froehnerus, quamquam inscriptionem a Ligorio factam esse concedit commenticia esse negat, cum falsarius ille Dolicheno deam associatam fuisse scire non potuerit.

Sed aut egregie fallor aut haec Froehneri argumentatio, quae quidem spectat ad Frontini monumentum hoc argumento collabetur. Ne in una quidem imagine hominibus saeculi sexti decimi nota Dolichenum bipennem tenere ait Froehnerus. Attamen gerit hoc insigne deus in altero monumento a Froehnero ipso edito, quod eodem tempore Romae extitisse dicitur. Atque re vera illo, quod Vlpius posuisse Graeca inscriptione dicitur, adhibito Frontini monumentum suppletum esse ut ostendatur, argumenta in promptu sunt.

In utroque enim deus radiata corona ornatus est. Quam ei aptam non esse, non dico; id tamen offensioni est, quod Caesenano ectypo (n. 61) excepto non apparet nisi in iis duobus monumentis, quae Duperaci fide traduntur. Loricae deinde et bipennes simillime factae sunt, cum earum forma distet ab illis, quae expressae sunt in ceteris et statuis et ectypis. Firmissimam autem hanc affero causam, quod vestimenti lacinia, quam in imaginibus descriptis indicavimus, in utroque tam perverse picta est, ut eam paludamenti partem esse non intellegas nisi alia monumenta contuleris. Num verisimile est duos pictores aut pictorem unum, qui utrumque delineavit, in eundem incidisse errorem? An paludamenta ipsa in utroque mutilata fuisse credes?

Sed cum iis, quae apposui, non demonstretur, nisi alterum monumentum ex altero factum esse, restat argumentum, quo superiorem Frontini donarii partem suppletam esse ab homine, qui Vlpi ectypo usus fuerat probatur. Id testatur bipennis, quae, cum in omnibus[1] monumentis teneatur dextra, sinistra geritur in uno Frontiniano. Quodsi proba esset Duperaci fides, ex hoc monumento di-

---

[1] Vt vides in Vlpiano, in n. 14, 23, 27, 35 certoque conicias e n. 24 et 39.

scendum erat, quam fuerit inconstans et instabilis mos Romanorum, sed ut res se habet, quis superiori illi parti credet, quam Duperacius quidem tradit, non tradunt neque Apianus neque Smetius neque Pighius, qui multo ante Duperacium monumentum aut describendum curaverunt aut depinxerunt descripseruntve? — Bipennem autem quod Dolichenus, qui est in monumento Frontini in sinistra tenet sic explico. Quod in hoc ectypo deus sinistrorsum, dextrorsum in Vlpiano versus est, Ligorius ut superiorem alterius monumenti partem ad alterum accomodaret, omnia mutato ordine depinxit. Sed ille falsarius doctior fuit, quam ut omnes minutias imitaretur. Omisit igitur vaginam et avem. Item barbam alteri, ut novi aliquid adderet, imposuit, nisi eam Duperacium, cum Ligorium exprimeret, pingere oblitum esse facilius probetur.

Haec si recte disputata sunt, superior Dolicheni pars in monumento Frontini est spuria, genuina in Vlpiano. Quam ut stabiliam sententiam falsarii esse nego et coronam radiatam et avem in umero sedentem et vestimenti laciniam vaginamque, quas quae fuerint non intellexerit pictor. Deinde quia Ligori tempore ullum donarium Romae extitisse Froehnerus rectissime negat, ex quo quisquam scire potuerit Dolichenum associatum fuisse deae in cervo stanti, Vlpi ectypum, quod exhibet Duperacius, ex parte genuinum esse affirmatur; quod totum tamen pro vero habere non ausim. Namque inscriptionem, quam basi incisam esse supra exposui, Duperacius ita praebet: *ΚΑΤΑΚΕΛΕΥ | CΙΝ ΘΕΟΥ ΔΟΛΙ | ΧΗΝΟΥ ΑΝΕΤΗCΑ | ΚΑΤΑΘΗΝΕΟΥ ΤΟΥ Ι | ΕΡΟΥ ΜΑΡ ΚΟC ΟΥΛ | ΠΙΟC ΚΑΙ ΟΥΙΟC ΜΑΗ | ΚΟC ΟΥΛΠΙC ΑΡΤΕ | ΜΩΝ*[1]. Quam inscriptionem etiamsi Smetius (18. 7) quoque se vidisse dicit, nunquam tamen extitisse Froehnerus docuit e verbis *κατὰ Ἀθηνέου τοῦ ἱεροῦ* idemque inde elucet quod patris cognomen deest. Iam vero cum falsa sit inscriptio, figuris quoque diffidendum est, atque sunt, quae suspicionem confirment. Nam ab illa huius monumenti imagine, quam exhibet Duperacius, non solum Smeti descriptio, sed etiam, quae in schedis Berolinensibus servatur Pighi imago discrepat. Smetius enim adnotat 'ad aram quadratam, in qua pinus est, stat taurus, super quo stat quidem (nescio an ipse deus) soccatus barbare. Adversus paulo in monticulo stat ut videtur aries. Subsequitur inscriptio'. Convenit cum hac descriptione imago Pighi[2], unde tamen

---

[1] Pighius et Smetius v. 3: *ΑΝΕCΤΗCΑ*, v. 6 *ΟΥΛΠΙC ΜΑΡΚΟC.*

[2] Quae sequuntur non sumpsi e Iahni adnotatione, sed usus sum imagine a fratre meo facta permissu bibliothecariorum Berolinensium. — Ceterum credo Pighium neque hoc neque Frontini monumentum vidisse. In utriusque enim monumenti imagine exhibet

omnia accuratius discimus. Vides deum ad umbilicum tantum incolumem in dextra imaginis parte in tauro sinistrorsum verso stantem. A sinistris ara. Supra aram intervallo interiecto aries. Quem in monticulo stare non accurate dicit Smetius. Nihil enim conspicis nisi lineolas circum arietis pedes ductas, quae significant solum. Deinde cum apud Duperacium basi, in qua dea stat, inscriptio incisa sit, apud Pighium totum monumentum in duas partes divisum est, quarum superiorem occupat ectypum, inferiorem titulus. Columnis doricis, quae desunt apud Duperacium, teste Pighio includitur ectypum. — Quam distent inter se Duperaci et Pighi imagines ex iis, quae adnotavi elucet. Quae tamen discrepantiae ex parte certe explicantur, si Duperacium usum esse statuimus imagine diu ante Smetium et Pighium facta, cum nondum superiores Dolicheni et deae partes deletae fuerint accurateque cervus, quem mutilatum posteriores pro ariete habuerunt, conspici potuerit. Sed quantumvis imago mutilata fuerit, basis illa, in qua apud Duperacium dea stat omnino evanescere, arula olim in medio collocata in partem moveri, columnae erigi non potuerunt. — Vtrum Duperacio confidamus an Pighio Smetioque? Nulli credamus?

Bona Smeti et Pighi auctoritate nostram, quae est de imaginis fide, disputationem stabilire non possumus, cum utrumque virum monumentum non vidisse inde apparet, quod falsam inscriptionem cum eo coniunctam tradunt. Nec vero magis Duperacio, qui paene omnia ex Ligori schedis hausit, credendum est. Quam ob rem nihil certi statui potest nisi Romae medio saeculo sexto decimo Dolicheni donarium fuisse, in quo deus, cuius superior pars ita expressa erat ut in imagine Vlpi Duperaciana, in tauro positus et dea cervae insistens simul ficti erant (cfr. n. 84). Quod monumentum utrum magis convenerit cum imagine, quam exhibet Pighius, an cum Duperacianis diiudicari nequit.

Ad id vero monumentum, quod Romae revera extitisse modo exposuimus, ea quoque referenda sunt, quae in Ligori manuscriptis Taurinensibus (inde Gudius III, 7, Reinesius I 225 et 226, S. 68) leguntur: 'tabula ahenea Romae reperta, in qua Iuppiter armatus conspicitur insistens tauro, Iuno insistens cervae. Infra haec inscriptio: Iovi optimo max. Dolicheno L Fabirius L. l. Philotimus v. s. l. m. — Iunoni Assyriae reg. Dolichenae'. Imaginis enim descriptio non nisi secundum verum monumentum facta

taurum sinistrorsum versum, quod non nisi errore ortum est. Nam quod putaris Pighium consulto omnia mutato ordine depinxisse, ne imago typis expressa inversum rerum ordinem exhiberet, id ideo mihi non probandum videtur, quoniam inscriptionem a sinistris ad dextras scripsit.

est. Inscriptionem quippe quae tradatur a Ligorio solo, Henzenus (*Bull. dell. inst.* 1856 p. 112) usurpari vetat. priorem tamen eius partem nihil praebere ait quo offendamus, alteram meliorem de Dolicheni indole doctrinam prodere, quam Ligorium tenuisse credibile sit. Itaque statuit inscriptionem non totam esse fictam, sed interpolatam proponitque quamvis dubitanter tabulam Dolicheno et deae Syriae oblatam esse. Sed Syria dea neque in cervo stat neque una cum Dolicheno colitur neque in titulis Assyria nominatur. Atque Ligorium re vera scivisse, qua fere ex regione Dolichenus oriundus sit, docent agnomina, quae deo dedit ut 'Adioassuritenus et Adiabenus'. Id unde sciverit nescio; sed cur Stephanum Byzantinum legisse ille non putatur? Igitur totam inscriptionem nisi in Ligori schedis nusquam unquam extitisse censeo.

III.

DACIA

1. Napocae, ara quadrata. Ephemeris epigraphica II 373.
I(ovi) o(ptimo) m(aximo) Dolic(eno) pro salute Ael(ii) Lycini p[r]oc(uratoris) Augg(ustorum) | ///?

P. Sempronius Lycinus Ancyra oriundus Daciam Porolissensem procuravit Severo et Caracalla Augustis (198—209), cfr. CIL III 244 et 6054.

2. Napocae. Eph. II 374.
I. o. m. Dol. Vlp(ii) Pater[n(us)] et Iustin(us) | ?

3. Ampeli, columna. CIL III 1301*a*.
I. o. m. Commagenorum eterno Marinus Marian[i?] bas(?) sacerdos I. o. m. D. pro s(alute) s(ua) suorumq(ue) omnium vot(um).

Acknerus et Muellerus tradunt ETERNO MARINVS MARIAN. Sed si vera sunt quae supra de 'Marinis' disputavimus, sicut etterno pro eterno, ita Matrinus Matrian (aut si mavis Martinus Martian) pro Marinus Marian aut falso scriptum esse a lapicida aut falso lectum a viris doctis probabile est nec restituendum est cum Mommseno gentilicium, sed quae legimus explicanda sunt Marinus Marian(i filius), cfr. CIL III 5071 Acceptus Acceptiani, nisi forte putas fuisse in lapide: MARIAN. Ne in eo offendas, quod a cognomine Marinus compositum est cognomen Marianus, quod ex more debuit componi Marinianus (cfr. CIL III 5431 Marinianus Marini f.), velim conferas titulum CIL III 249, ubi L. Didi Marini nutritor appellatur Marianus. Litteras BAS ad munus sacerdotale referendas esse censeo.

4. Ampeli, columna. CIL III 1301*b*.
I. o. m. D. et(erno) deo Commaceno Aurel. Marinus [et] Addebar Semei et Oceanus Socratis sacerdotes v(otum) l(ibentes) p(osuerunt).

et = aeterno, cfr. CIL V 770, ubi aeternus notatum est aet. Et copulam non esse inde elucet, quod Dolichenus et Commagenus idem est deus. Nam dubitationem, quam hic et titulus 3 relinquit, num verba: deo Commaceno ad alterum Commagenorum deum, velut Samosatenum, referenda sint, tollit sequens:

5. Ampeli, ara. Eph. II 422.
Deo [eter]n(o) [C]ommac(eno aut-enorum) Dulc | ///?
quod quattuor tantum desunt litterae, in hoc quoque titulo scribendum est etern(o), non aetern(o).

6. Ampeli, columella. CIL III 1302, S(eidl) 17.
I. o. m. Dolic Modes | ?

7. Apuli, columna. Eph. II 401.
I. o. m. D. Aurelii Alexander et Flaus Suri negotiatores ex voto l(ibentes) p(osuerunt).

8. Apuli, ara parva. Eph. II 400.
I. o. m. Dolicheno pro salute imperator(is) Ael. *Valentinus vet(eranus)* sacerdos templ(um) impendio suo restituit.
quae dantur litteris inclinatis, restituta sunt in litura. Propter litteras aram saeculo tertio attribuit O. Hirschfeld (*Epigraphische Nachlese zum CIL III aus Dacien und Moesien* in actis minoribus acad. Vindob. a. 1874 vol. 77).

9. Sarmizegetusae. CIL III 1431, S. 28.
I. o. m. D. pro salute M. Bassi Aquilae et Gai Gaiani ex coll(egio) fabr(um) dec(uriarum) IIII v(otum) s(olutum) l(ibenter) m(erito).

10. Tibisci, ara. Eph. II 443.
I. o. m. D. Iulius Valentin(us) [f]lamen m(unicipii) T(ibisci) pro salutem suam suorumque omnium contubernalium v. l. m. p.
'contubernalium in ectypo esse visum est Hirschfeldio, in apographis contubernium'. Litterae sunt alterius saeculi exeuntis Hirschfeldio teste.

11. Cibinii, incertae originis. CIL III 1614, S. 29.
I. o. m. D. ex praescripto num(inis) Aesculapii Veturius Marcian(us) [v]ex(illarius) le[g] XIII g(eminae) [p(ro)] s(alute) s(ua) suor(um)[q].
hunc lapidem Cibinii aut non procul a Cibinio erutum esse probatur Soterii verbis 'hanc inscriptionem quidam Cibiniensium vir doctus ... se cum lapide Romano possidere fatetur' stabiliturque legione in eo nominata.

PANNONIA INFERIOR

12. Acuminci rep., nunc Vindobonae in antiquario. CIL III 3253, S. 1. — Monumentum marmoreum altum 2′ 10″, quod aere expressit S. tab. I.

In basi, in qua est inscriptio, stat taurus dextrorsum versus, qui dextrum pedem priorem ponit in arietis capite. In tauri capite sedet aquila. In tauro stat Dolichenus barbatus, pileo tectus, lorica amictus, paludamento indutus. Quid in sinistra tenuerit deus incertum est; dextrum bracchium deest.
I. o. m. Dol. Aurelii Sabinianus et Maximus et Apollinarius sacc (= sacerdotes) vot(um) l(ibentes) l(aeti) pos(uerunt).

13. Acuminci rep., nunc in museo Pestinensi. CIL III 3252, Eph. II 575, S. 30 et *Nachtrag* p. 29. — Monumentum ex marmore albo sculptum, altum sine base 0,m37 aere expressit Seidelius *Nachtrag* tab. II, 2 capite tauri omisso, totum photographia Desiardinius *Monuments épigr. du Musée national Hongrois* n. 29.
Taurus dextrorsum versus.
I. o. m. D. Aur(elius) Iustianus dec(urio) et Vlp(ius) Silvinianus dup(larius) ale Pan(noniorum) [pr]o se.
'in fine lapidis est DVPALEP·XNO | OSSE elementis duobus O et S expunctis; dedit igitur quadratarius P·XN | O SE. Versu extremo ante O et post E marmor vacat'. Seidelius et Desiardinius (*Desiderata du CIL* n. 29) Aul lapidem praebere dicunt nescientes formam λ = r usitatissimam esse in titulis inclinatis litteris scriptis. *l* in hac inscriptione est L.

14[1]. Lussonii, nunc in museo Pestinensi. CIL III 3316 et 3317. Eph. II 591, S. 3. Desiardinius *Monuments* p. 10. — Pyramis e tribus aereis tabulis auro argentoque olim tinctis composita, alta 0,m36, infra lata 0,m37; una tabula periit; expresserunt aere Seidelius tab. III 1 et 2, photographia Desiardinius tab. V et VII.
In tabula, cuius inscriptio servata est, incisus est deus indutus lorica, sinistra manu gestans fulmen, dextra elevata malleum, in tauro dextrorsum verso stans; ad latus eius sinistrum est Victoria palmam et coronam tenens, pone tauri cornua ara ardet, iuxta dei caput stella est; infra Victoriam conspicitur protome Herculis cum clave,

---

[1] Titulum Sirmiensem (CIL III 3233) valde mutilatum, nunc deperditum, cuius primum versum Marsilius tradidit I·O·M·DI proximique legendi sunt: PRo saLVte | imp. caes. l. seP|tIMiO SEVeRO PERTINACI A|VG ET EXERCI | etc. (dativum enim extra ordinem positum postulant traditae litterae) Mommseno (ind. p. 1163) concedo verisimillimum esse dedicatum fuisse I·O·M·D(olicheno) H(eliopolitano) imprimis cum cogitari possit de Septimio in Syria versato. Sed ut certissimos tantum recipiam in collectionem, I·O·M·DEp quoque, quod quidem in titulis Pannoniae inferioris parum est credibile et I·O·M·D(is) D(eabus) emendari posse dico.

infra aram protome Minervae galeatae hastataeque, supra Dolichenum protome et Solis et Lunae.

Altera lamina lineis transversis divisa est in quinque partes. A summa pyramide incipiens vides in prima florem, in altera aquilam, in tertia Solem et Lunam, in quarta a sinistris Dolichenum in tauro stantem, qui in dextra tenet fulmen, in sinistra dubiam rem, a dextris deam ibici sinistrorsum verso insistentem. Dea Iunoni similis sinistram elevat, dextra ibicis cornua capit. Inter deos est ara accensa. In infima parte conspicitur in aedicula vir, qui quamquam tauro non insistit, tamen quod eadem figura est atque Dolichenus in superiore parte expressus tenetque fulmen et tectus est pileo, pro Dolicheno habendus est; a dextris et a sinistris ficti sunt ii dii bestiis conexi, quos supra p. 3 descripsi.

Summa pyramis Victoria in globo stanti ornata fuit, quae nunc videtur periisse. Desiardinius monumentum artis causa tertio saeculo exeunti aut ineunti quarto attribuit, cfr. p. 20, adn. 2.

IOVI · DVLCHENO · P · A · EL · | LVCILIVS · Ɔ · COH · I · A⌟ · PEQ

Mommseno teste coh. I Alp(inorum) eq(uitatae) legendum est. Desiardinius (*Desid.* n. 28) tametsi ultimam litteram similiorem esse concedit litterae Q quam D, puncto tamen, quod est inter A⌟ et P, permotus legit A⌟ · PED. Sed in priore quoque versu A · EL ineptissime lapicida sculpsit, deinde in omnibus CIL III titulis uno excepto 4665b, ubi nihil nisi A scriptum est, Alpinorum, si non perscriptum, notatum est tribus litteris.

15. Stuhlweissenburg, nunc in museo Pestinensi. CIL III 3343, S. 19 et *Nachtrag* tab. II, 1. Desiardins tab. IV, 30. Ara alba 32″, lata 20″.

I. o. [m] Dolc. pro sal(ute) dd(ominorum) nn(ostrorum) Augg(ustorum) tot(ius) pr(ovinciae) sacerdote[s].

dei statuam sacerdotes erexisse probatur reliquiis, quae in summo lapide esse dicuntur, cfr. Seidl *Nachtrag* p. 28.

16. Aquinci. CIL III 3462, S. 22.

I. o. m. Dulceno Heliopolitan(o) sacru(m) fecit T(?) Aureli(us) Secu[nd] vetr. leg. II ad(iutricis) [p(iae)] [f(idelis)] pro se et suis posu[it] v. s. l. m.

T(itum) praenomen fuisse verisimile est, quod Macko tradit FECIT · F. Lapidem fuisse statuae basim dicit Seidelius Schoenvisnero, ut videtur, auctore.

17. In museo Pestinensi rep. inter reposita. Eph. II 738.

hominis		grypi
stantis	rota	pars
pars ima		inferior.

I. o. m. Dol.

PANNONIA SVPERIOR

18. Daruvar rep. CIL III 3998.
I. o. m. Dol. pro salute impp. L. Sep(timii) Severi et M. Aur(elii) Antonini [A]ug[g] ////////// Q. Carmeus Iulianus 7 leg. VII gem(inae) cum Iul(ia) Att[i]cilla et Carmaeis Secundo et Atticilliano fili[i]s v. s. l. m.

nonne priore quoque loco scriptum fuit Carmaeus ligatis M et A? Oblatum est donarium intra annos 198—209, nam Caracalla, sed non Geta appellatur Augustus.

19. Daruvar eodem loco atque tit. 18 rep. CIL III 3999.
I. o. m. Doloceno Secundius Restutus 7 leg. X gem. pro se et [su]is posuit.

20. In municipio Latobicorum videtur titulus erutus, cfr. CIL III 3900; extat Laibaci in museo. Litteris inaequalibus neque bonis. CIL III 3908, S. 27.
I. o. m. D. et I. o. m. H(eliopolitano) Aurelius Domittius qum (= cum) Fl(avio) Castore et Aur. Maximu fratribus ex iuso numinis v. s. l. m.

21. In municipio Latobicorum videtur erutus. Extat Laibaci in museo. CIL III 3909, S. 26.
I. o. m. D. M. Aur. Valentinus b(ene)f(iciarius) co(n)s(ularis) leg. XIIII g(em) v. s. l. m. | /MIPT// | LII — /SC | cos. kal. novembrib.

22. Carnunti rep., nunc in museo Vindobonensi. CIL III 4401, S. 43.
Genium I(ovis) o(ptimi) m(aximi) D(olicheni) sub sacer(dotibus) Antioco et Marino.

---

23. Ectypum calceum altum 20″, latum 15″, quod, quamquam est incertae originis, in Hungaria repertum esse constat, cum sit e collectione Nicolai Iankovichii; nunc in museo Pestinensi. S. *Nachtrag* 75 et tab. 1.

Tauro dextrorsum progredienti insistit Dolichenus, qui in sinistra fulmen, in dextra bipennem tenet. A dextris venit Victoria deum coronatura, a sinistris sedet aquila. Coloris vestigia adhuc conspicua sunt.

24. Statua ahenea, olim auro tincta, alta 0,^{m}9 quae dicitur in Hungaria reperta esse, nunc Vindobonae in museo. Sacken: *Die antiken Bronzen des Münz- und Antikencabinets* p. 16 tab. VII, 5.

Dolichenus in tauro dextrorsum verso stat dextra elevata, qua tenuit bipennem.

NORICVM

25. Inter Iuennam et Celeiam. Windischgratz rep. CIL III 5103.

i. o. M · DOL
pr O · SAL
P · MA

Mommsenus scripsit imp. MA. Sed nec de M. Aurelio, quia deest punctum, licet cogitare, nec de Macrino, Maximino, Maximo, qui non appellantur nisi praemissis gentiliciis. Civis igitur alicuius nomina restituenda sunt, velut Vlp(ii) Ma[rini].

26. Viruni, extat Klagenfurti in museo tripertita. CIL III 4789, S. 23.
Duobus Silanis I///? | I·O·M·DO///? | //////////? | //////////? | //////////? | //////////? | Bellicus Marini fil(ius) s[acerdos] | triclin(ium) omni impend(io) suo iu[ssit fieri??].

'erasum est nomen Commodi. Cum in Silanis duobus consulibus anni 189 iterationis nota locum non habeat, I/ quod sequitur superesse videtur ex die' Mommsenus.

Sub n. CIL III 5006 profertur lapis valde mutilatus, item Klagenfurti in museo adservatus cum hac inscriptione:

OLIC

Cum tituli supra laudati versus alter finiatur priore litterae O parte, hoc frustum exordiatur altera O parte marginesque lapidum coeant, non dubito quin eiusdem tituli partes sint. Vnum est quod obstare putes. Maioribus enim typis in CIL frusti quam tituli litterae expressae sunt. Id nisi errore ortum est, refutat coniecturam; refutata autem illa frustum pro novo Dolicheni donario habeo, an quo alio modo illae litterae possunt explicari?

27. Viruni, ectypum ex albo lapide calcario longum et altum 1′ 10″ insertum fuit muro arcis Trixen sitae non procul a Lambrechtsberg. Aere expressit Jabornegg-Altenfels: *Kärntens römische Alterthümer*. Klagenfurt 1870 tab. 8, 218, cfr. p. 118.

In aedicula stant a sinistris in tauro Dolichenus, qui in dextra manu gerit bipennem, in sinistra fulmen, a dextris dea Iunoni similis in caprea, quae quid in elevata dextra tenuerit incertum est. Supra deos ficti sunt Sol, Luna, aquila.

RAETIA

28. Inter Reginum et Boiodurum. Straubing *im Osterfeld* inter ecclesias S. Petri et Nicolai rep. a. 1812, deinde ibi in curia, mox in novum pontem Danuvianum absumpta. CIL III 5973, S. 11.

ab una parte	ab altera parte
iovi o. m.	III IDVS APR*i*
*do*LICHEN	LES·LAELIA
*pr*O SALVTE	NO·COS·QVI
*im*P·N̄·VETE	BVS·PRA*e*E*st*
. . ICAMA	. . . .

est anni 163. Veteranos cohortis I Flaviae Canathenorum lapidem posuisse p. 13 conatus sum demonstrare. Scribas C·I·F CANA defendens illud CANA compendio VETE, nisi mavis statuere sextum versum deesse, quae sententia videtur probari altera quoque parte. In uno enim versu nomina et munus eius, qui praefuit veteranis, vix scripta fuerunt.

GERMANIA

29. Pforzheim, periit. C. Rh. 1688, S. 6.

I. o. m. Doli[c]eno. L. Verat(ius) Paternus m(iles) leg. VI[II] Aug(ustae) s. l. m.

30. Aschaffenburg. C. Rh. 1752, S. 5. Laterum ornamenta expressit Heffner: *Das römische Baiern* tab. IV, 9.

In sinstro latere: arbor, scutum, fulmen; in dextro: duo cornua copiae.

I. o. m. Dolicheno in honor(em) d(omus) d(ivinae) P. Ferrasius Cl(audia) Avitus Savaria 7 [l]eg. VIII Aug(ustae) p(iae) f(idelis) Co(mmodianae) ex aquilifero leg. I. adiutricis pro se et suis v. s. l. l. m. Aproniano et Bradua cos.

est anni 191.

31. Monguntiaci rep., nunc in museo Wisibadensi. C. Rh. 1022, I. Becker: *Die Heddernheimer Votivhand* 1861 adn. 20.

I. o. m. D. Sintillius Vrsulus v. s. l. l. m.

32[1]. Heddernheim rep., nunc Francofurti. C. Rh. 1455, S. 18.

---

[1] C. Rh. 1471 v. 4 monitu d(ei) solvendus est. Inscriptionis, quae *Bonner Jahrbücher* LIII p. 192, 3 edita est, interpretatio prorsus incerta est. — Addo quae legi *Frankfurter Archiv* VI p. 6: *Auch besitzt Herr Prof. Osann in Giessen einen auf der einen Seite*

Inscriptio incisa est in manu dextra votiva, quam aere expressit I. Becker l. c. et *Drei römische Votivhände* 1862.
Iovi Doliceno G. Iul(ius) Marinus 7 Brittonum Gurvedens(ium) d(ono) d(at).

33. Heddernheim rep., nunc Francofurti. C. Rh. 1456, S. 48.
Deo Dol. Atilius Tertius ex coh(orte) II Aug(usta) q(uingenaria) v. s(olvens) l. l. m. f(ecit).

cohors videtur esse Cyrenaica, quam in Germania tetendisse docent diplomata IX et XXVII et titulus Rhenanus 1708. Q solverunt falso Beckerus et Brambachius 'quaestionarius'.

34. Heddernheim rep., nunc in museo Wisibadensi. C. Rh. 1457, S. *Nachtrag* 70.
[Iovi] Dol. [I]u[b]entius Hispanus l. l. m.

ante priorem V nominis gentilicii unam tantum litteram stetisse tertiamque D aut B fuisse lapide collato Aug. Fresenius Wisibadensis confirmat. Coniectura igitur Prudentius refutata malim Iubentius (cfr. Smetius LIIII et CXLIX, 26) quam Pudentius (cfr. inscr. Nassov. p. 13), quod nomen nusquam legi.

35. Heddernheim rep. eo loco, qui in tabula topographica (*Nassauer Annalen* I, 1 tab. 4) littera *r* indicatus est. Nunc in museo Wisibadensi. — Tabula ahenea in forma pyramidis; alta 18″, infra lata $7^1/_2$″. Aere expressit Römer-Büchner *Nassauer Annalen* IIII, 2 tab. 1, inde Seidl tab. III, 3; cfr. Römer-Büchner p. 349, S. 4.

Dolichenus sinistra fulmen habens, dextera bipennem insistit tauro, super quem et Victoria volat cum coronatura et Solis caput incisum est. Infra deum tres figurae sunt, quarum media est dea Isidi similis cum sistro in dextera, cum sceptro ut videtur in sinistra. Ab utraque eius parte sculpta est eadem imago, scilicet superior pars dei loricati et pileo tecti, quem pro Dolicheno habeo. Hic in basi ex orbibus composita positus protomen dei alicuius in capite portat. — Partem tabulae aversam Habel (*Nassauer Annalen* III, 3 p. 176) sic descripsit: *auf der Rückseite ist die Platte mit einer prismatischen, nach oben sich verjüngenden Leiste verstärkt*, ita ut eam videas simillimam esse aversae parti alterius (n. 36) tabulae Heddernheimiensis, quae aere expressa est *Nassauer Annalen* I, 3 tab. VII, 8 b. — Victoriae statua ahenea, quae una cum hac tabula reperta esse dicitur (*Nassauer Annalen* III, 3 p. 176), summam pyramidem ornasse videtur.

---

sehr beschädigten Juppiterkopf aus Heddernheim, von roher Arbeit, aber edler, idealer Auffassung, der vielleicht einer Statue des Juppiter Dolichenus oder Olbius angehörte.

36. Heddernheim, in museo Wisibadensi. Superior tabulae aheneae pars. Aere expressit Habel (*Nassauer Annalen* I, 3 tab. VII 8a et b, inde Seidl *Nachtrag* p. 74), cfr. Becker *Heidelberger Jahrbücher* 1854 p. 488.

Summum locum occupat Serapidis protome; infra Sol et Luna sculpti sunt. Quod haec tabula simillima est alteri Heddernheimiensi et Pannonicae n. 14 dubium non est, quin haec quoque ad Dolicheni cultum sit referenda.

37. Saalburg rep., nunc in museo Homburgensi. C. Rh. 1426, S. 71.

I. o. m. Dolichen[o] [Ti]b(erius) Cl(audius) Tib(eri) fili[us] . . . Candidu[s] . . . . m | ?

38. Rigomagi rep., nunc Bonnae in museo regio. C. Rh. 645, S. 69.

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) Arcias Marinus sacerdos Dolicheni donum donavit equitibus chortis I F(laviae) Decio et Crato cos.

de cohorte supra p. 14 disputavi. Titulus est anni 250. Aram, in qua est inscriptio, donarium ipsum esse, quod equitibus sacerdotem dedisse inscriptione indicatur, censet Seidelius. Sed lapis multo minor est, quam ut in eo sacrificari possit. Testimonium igitur doni, non donum esse certum est, incertum, quid datum sit. Braun *Jupiter Dolichenus* Bonn 1852 p. 7 de sepulcreto cogitavit.

39. Bonnae rep. '*am Wichelshof*', nunc in museo antiquariorum Rhenanorum. Statua ahenea, quam expressit Braun *Jupiter Dolichenus* fig. 3, S. 73.

Dolichenus loricatus, pileo tectus in sinistra tenet fulmen, in dextra elevata tenuit bipennem, quae nunc deest. Deum in tauro stetisse ostendunt cardines, qui ex pedibus eminent.

40. Prope Xanten. C. Rh. 204, S. 41.
Inscriptio nunc deperdita:

ab Hüpschio sic traditur:	legenda:
I O MD	I · O M D
I P O N M F	*po* MPON · M · F
SIPINAR cAIVI	SER · MARC*i*AN*us*
CARNPRIVAPII	CARN · PRIMi PIL
LEG XXXVVII	LEG · XXX·V·V·P·F
CVMIVI VINA	CVM · FVLVINA
MONAIVA CON	MONANA · CON
LVG ETMLI IV	IVG · ET · FIL · P*o*M ·
VIARCIAN M C	MARCIAN · MO
cIOI-I- C[c] –	*de*STO · IT COS–

cum Spenrathius quoque primum versum descripserit I·O·M·D, non est, cur Dolicheni donariis titulum adnumerare dubites. Steinerus CONIVG, Seidelius CARN(unto) PRIMIPIL·LEG XXX·V·V·P·F emendavit. Emendationem M·F·SER Buechelero debeo. Sergia enim in tribu Carnuntenses censos esse monstrant tituli a Mommseno CIL p. 550 collati. — Modesti, qui altero consulatu anno 228 cum Probo functus est, restitutio incerta est.

---

41. Tabula argentea, quae dicitur Regiomontio Berolinum, Regiomontium e terris Rhenanis venisse; nunc Berolini in museo. C. Rh. 1997, *Archäol. Zeitg.* 1865 p. 25 et ibidem p. 49*; aere expressit Gerhard *Bonner Jahrbücher* XXXV tab. I, 1, cfr. ib. p. 31.

In aedicula stat Iuppiter, cuius inferior pars amicta est chlamyde; in dextra tenet fulmen, in sinistra sceptrum. Infra haec inscriptio:

I. o. m. Dolicheno Antonius Proclus 7 Germani v. s. l. l. m.

Brambachius monumentum pro spurio habet addens 'huiusmodi monumentis diffidendum est'. Sed F. de Duhnius, qui Berolini tabulam cum aliis viris doctis accuratissime inspexit, artis rationem dicit nihil praebere, cur de sinceritate dubitetur. Atque tales tabulae aheneae saepius Dolicheno dedicatae sunt, cfr. nostrae collectionis n. 56, 57. — De imagine dei supra p. 3 dictum est.

42. Tabula argentea una cum n. 41 Berolinum portata ibique in museo adservata. Aere expressit Gerhard l. c. tab. I, 2.

In aedicula stat Iuppiter eius, qui in altera tabula incisus est, simillimus. A dextris iuxta Iovis pedes aquila in globo sedens cum corona. In quattuor clipeis, quibus ornantur tabulae margines, ficti sunt Amores cum hastis et parmis. — In hac quoque tabula Dolichenum expressum esse Gerhardius putavit imprimis propter armatos Amores. — Equidem deum pro Dolicheno habeo, quod simillimus est dei prioris tabulae, quae est eiusdem artis, eiusdem originis.

GALLIA

43. Massiliae rep., nunc in museo Stuttgartiensi. S. 2, qui aere expressit tab. II.

In tauro dextrorsum verso stat Dolichenus Martis similis. In basi haec inscriptio:

Deo Dolicheno Oct(avius) Paternus ex iussu pro salute sua et suorum.

BRITANNIA

44. Iscae rep., 'basis longa p. 4, lata p. 3 videtur periisse'. CIL VII 98, S. 8.

Iovi o. m. Dolich[yno . et] I[un]oni . o. Aemilianus Calpurnius Rufilianus [v. c. l]e[g(atus)] Augustorum monitu.

traditur DOLICHV; Dolichyno in lapide fuisse (cfr. Dolichino n. 56) malim credere quam V pro E lectam esse. — *o* post Iunoni positum videtur foliolum hederaceum esse.

45[1]. '*Plumpton near Penrith*' nuper rep. CIL VII 316.

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) I(ovi) o(ptimo) m(aximo) D(olicheno) [templum] vetustate co[nlapsum] Aurelius At . . . | . . . . OIIII | ///?

finem Huebnerus probabiliter emendavit: c]o[h(ortis)] II [Gallorum restituit]. Formula In h. d. d. lapidem saeculo altero exeunte non priorem esse probatur.

46. *Gainford* rep. CIL VII 422.

In latere dextro aquila sedet coronam lauream tenens.

I. o. m. Dolycheno [I]ul(ius) Valentin[us] ord. ceri. sui ex iussu ipsiu[s] posuit pro se et suis . . . . l . . . . [Pr]aesente et Torquato cos.

'ORD certum est; CERISV Scarth et videtur ita scriptum esse; sed poterit etiam legi GERISV. in ultimo versu mihi hastae duae tantum apparent post nomen prius, quae aut ET esse possunt aut II; deinde TOR mihi videor clare legere; reliqua incerta sunt' Huebnerus.

47. Conderci rep., nunc in *Newcastle* in museo; alta ped. 3, dig. 1, lata ped. 2, dig. 1. Litteris bonis. CIL VII 506, S. 12.

I. o. [m. Dolic]heno et numini[b]us Aug(usti) pro salute imp(eratoris) Caesaris T. Aeli Hadr(iani) Antonini Aug. Pii p(atris) p(atriae) et leg(ionis) II Aug(ustae) M. Liburnius Fronto 7 leg. eiusdem v. s. l. m.

positus est intra annos 139—161.

48. Aesicae rep. *Dunelmum* pervenit, ubi servatur. Est pars superior arae supra anaglyphis ornatae. Litterae videntur esse saeculi tertii. CIL VII 725.

---

[1] CIL VII 345 et 419 Dolicheno sacrati non sunt.

urna (?) taurus (?)
currens sinis-
trorsum

iovi O M D
SABINI FIL·
I NA · REGVLVs
DVI* II

quod in omnibus monumentis taurus visitur dextrorsum versus, bestiam, quam vidit Huebnerus, non credo taurum fuisse, sed cervam, in qua Iuno Iovi obversa stare solet. Vrna, quae vocatur, videtur fuisse arula stetisseque inter deos. Inscriptione quoque probatur multum deesse in sinistra tituli parte. Titulum Huebnerus restituit [Titia] Sabini fil(ia) [Ruf]ina, Regulus. Sed cur femina viro praeposita est? Suntne secuti filii? Sed si ita est, ante Regulum stare debuit gentilicium. Igitur propono exempli causa: [Aurelius] Sabini fil. [Oufent]ina Regulus [sacerdos] Dul(ceni). Finis prorsus incertus est, sed cfr. n. 12: Aurelius Sabinianus sac. Dol.

49. Magnis rep. CIL VII 753, S. 36.

I O M D
H*elvius??*

ad Dolichenum lapidem referendum esse, cum Magnis aliquot Syriacorum deorum tituli eruti sint, Seidelius bene animadvertit, sed litteram H nego ab illo recte explicatam esse: Heliupolitano. Ne commemorem nos prorsus ignorare, num Pannoniis exceptis Dolichenus Heliupolitanus usquam cultus sit, illa explicatio, ni fallor, refutatur tituli scriptura[1]. Nam cum Dolichenus notatus sit littera una, Heliupolitanum quoque puto item scriptum fuisse. Sed si ita esset, in una illas litteras lineola incidisset lapicida.

50. *Bewcastle* rep. CIL VII 976.
I. o. m. Dolicheno templum a so[lo] pro s[al] | ///?

51. Habitanicii rep. CIL VII 991, S. 15.
[I. o. m.] Dolocheno C. Iul(ius) Publ(ilia) Pius trib(unus) v. s. l. m.

---

[1] Ex eadem causa nego titulum CIL VII 956, quem tradunt

Hutsch:	Bruce:
I O M	I O M
DSIVII	D IV CT
etc.	etc.

ab Huebnero recte solutum esse: I. o. m. D. Iu[n(oni)] R(eginae). Fortasse cogitandum est de D(eo) SLVaNo aut D(eo) Invicto.

NVMIDIA

52. Lambaese. '*Au sud du camp, sur un petit autel*' Renier 144.
I. o. m Dolicheno Ti(b) Memmius T. f(ilius) Palatina Vlpianus Roma praef(ectus) coh(ortis) II . . . q(uingenariae) p(iae) f(idelis), trib(unus) mil(itum) leg(ionis) III Aug(ustae) cum Verat[ia] Athenaide con[iu]ge et Memmia M[a]crina filia v. s. l. m.

53. Lambaese. '*A 500 mètres au sud-est des thermes, sur un dé d'autel*' Renier 145.
I. o. m. Dolic(heno), Aesculapio, Ygiae ceterisq(ue) diis immort(alibus) T. Fl(avius) Maximus ex ·7· praet(orianorum) p(rimus) p(ilus) praef. [leg. III] Aug. Severi(anae) cum Antonia Antonina coniuge v. s.

positus est intra annos 222—235.

54. Lambaese. '*Dans le camp de la légion, au sud-est du praetorium, sur une grande dalle entièrement encadrée d'une moulure*' Renier 1409.
Iovi Dolicheno Aug(usto) L. Septimius L. f. Fab(ia) Maximus tribunus leg. III Aug. suo nomine et L. Septimi Marcelli trib(uni) leg. eiusd(em) patris sui cum Lurcia Putiolana uxore et L. S[eptimi]o f[il(io) su]o Magno v. s. l. m.

e nominibus titulum L. Septimio imperatore posteriorem esse licet conicere.

DALMATIA

55. Salonis. Eph. II 529.
D(is) M(anibus) Aurelius Germanus Barlaha sacerdos I(ovis) o(ptimi) m(aximi) Dolicheni vivus sibi posuit et Syre CONIVGT. — *ascia*.

CONIVGT, quod in lapide legitur, errore lapicidae ortum est pro coniugi.

ITALIA

56. Tabella aerea litteris minutis scripta rep. in pago Villae Novae prope Concordiam. CIL V 1870.
I. o. p. m. Dolichino pro salute imp(eratoris) Commodi Aug(usti) Pii Fel(icis) Val(erius) Maximus ceniurio [*sic*] leg. IIII Flav(iae) et pro suis ex viso FHCID

Iovis epitheta optimus maximus nusquam alio intercalato dirimuntur, quam ob rem punctum inter *o* et *p* positum errore esse existimo, cfr. CIL II 2386, V 4235, VII 378. 380. FHCID pro fecid adhibita *η* pro *e* et *d* pro *t*, cfr. CIL III 58. Hoc aes inscriptum esse intra annos 185—192 testatur Commodi agnomen 'Felix'.

57. Atriae, aerea tabella ansata. CIL V 2313, S. 16.

A sinistris iuxta inscriptionem palma ficta est.

Pro salute imp(eratoris) Caesaeris [*sic*] M. Aureli Severi Alexsandri Pii Felicis Aug. Iovi optimo maximo Doliceno.

infra annos 222—235.

58. Brixiae. CIL V 4242.

I. o. m. D. ex iussu eius M. Pub(licius?) Clodian(us) candid. neq(uis) in hac ara | SETATVSACRITVLI'/ |

Vltimi versus prorsus incerti sunt. Candid. enim significatne cognomen 'Candidus' an, ut Mommsenus solvit 'candidatus'? Atque si 'candidatus' solvendum est, nescio utrum 'candidatus legionis' an 'collegii Dolicheni cultorum' intelligendus sit. — De ultimo versu Mommsenus adnotat: 'lectio plane certa excepta paenultima littera. ne q(uis) in hac ara s(cribat) et ...... Extrema non intellego'. Buechelerus intellexit 'saeta' inesse in primis litteris; legendum igitur mihi videtur: setatu(m) sacri[f(icare) v[e]li[t]. 'Setatum' verbum, quod eodem flexu et sensu mihi videtur esse atque 'crinitus', interpretor: animal quodvis habens saetas. Tales bestias in cultu Syriaci dei sacrificari vetitas esse mirum non est, cfr. Herodian V, 6, Pausan. VII, 17. 5, Aesop. 408, Movers *Phönizier* I, 218, CIL III 3955 titulum Heliupolitano datum, ubi Mommsenus legit: nequis in hac ara porcos agi facere velit. 'Sed lapidem oportet habere PORCOSACR = porco sacr(um)' Buechelerus.

59. Apud Bononiam; nunc ibi in museo. S. 20.

I. o. m. Dol. Q. Poblicius Modestinus sevir et claud(ialis) cenatorium p(ecunia) s(ua) f(ecit) l(oco) d(ato) d(ecurionum) d(ecreto).

60. Ravennae rep. Gruter ex Fonteio XII, 5, Muratori 1075, 1, S. 33.

Pro sal(ute) Augg(ustorum) ex iuss(u) I. o. m. D. con(servatoris) M. Caes(ius) Chresim(us) Aug(ustalis) Raven(nae) cum Saccidia Felicitate coniuge et Caesia Chresime filia.

61. Caesenae rep., periit. Traditur in Marcanovae schedis, inde Marini *atti* II 539, S. 57, qui expressit in tab. IV, 1.

In tauro dextrorsum verso stat iuvenis corona radiata ornatus, inberbis, tali lorica indutus, quali utebantur homines saeculi quinti decimi. In dextra versura Victoria deum coronatura, in sinistra aquila.

Supra ectypum haec inscriptio:
I. o. m. D.
Infra ectypum:
L. Aurelius Valerius sacerdos.
ectypi, quod extitisse demonstratur fide, quam habet Marcanova, superiorem partem saeculo decimo quinto mutilatam fuisse testantur lorica et bipennis, quam qui delineavit, pro baculo habuit.

62. Ad portum Augusti. Wilmanns exempl. 76.
Iovi Dolicheno pro salute imp. L. Aeli Aureli Comodi Pii Felicis Aug. n(ostri) L. Rubrius Maximus praef. eq(uitum) alae Hisp(anorum) votum solvi.
intra annos 185—192.

63. Histonii rep. IRN 5239, S. 21.
I. o. m. Dol. pr(o) s(alute) impp(eratorum) sacrum.

64. Aecae. IRN 1068, S. 10.
Iovi Dolichen(o) exuperantiss(imo) L. Munatius Nig. Quintus Valeriu[s] Vignus Severin(us?) C. Aucidius Tertul(lus) co(n)s(ularis) v. s.
traditur in schedis Lombardi POICNII, quod Mommsenus emendavit DOLCHEN. Borghesius (IRN p. XXIII) emendat Mummius pro Munatius, Vegetus pro Vignus titulum datum esse putans a consule anni 91. Sed illius signa fuerunt Q. Valerius Vegetus, cfr. Henzen Acta fr. arv. CXXXI v. 25, CIL II 2074 et 2077.

ROMA

Tituli ad templum in Aventino situm pertinentes.

65. Tabula marmorea, litteris admodum inconditis. 'In porticu hypaethri monasteri S. Alexii' Accursius. Ibi pars eius supererat aetate Nerinii; duo alia eiusdem fragmenta denuo prodierunt a. 1868 prope aedem S. Alexii in munimentis faciendis, nunc extant in aedibus curatoris commercii et operum publicorum. CIL VI 406 et p. 834 ad n. 406, S. 62, Lanziani *Bull. dell. inst.* 1870 p. 84, Wilmanns 92, 3.

B(ona) f(ortuna). Ex praecepto I. o. m. D. aeterni, conservatori totius poli et numini praestantiss(im)o, exibitori invicto L. Tettius Hermes eq(ues) r(omanus) et kandidatus et patronus huius loci pro salute sua et Aureliae Restitutae coniugis et Tettiae Pannuchiae filiae suae et suorum et Aureli Lampadi fratris carissimi et pro saloute sacerdotium et kandidatorum et colitorum huius

loci tabula(m) marmorea(m) cum proscaenio et columnis d(ono) d(edit). Quos elexit I. o. m. D. sibi servire M. Aurel(ium) Oenopione(m) Onesimum signum Acaci notarium et Septimium Antonium signum Olympi patre(m), kandid(atos), patronos, fratres carissimos et collegas hon(estissimos), Aur. Magnesium, Aur. Serapiacum, Antonium Marianum, M. Iul(ium) Florentinum principe(s) huius loci et Aur. Severum veteranum curatorem tempuli et Aur. Antiochum sacerdote(m), Gemi(us) Felix et Vibius Eutychianus lecticari dei, Co . . . . Centianus | ///?

'B · F Mommsenus monuit sic praescriptum reperiri in titulis Latinis exaratis in parte imperii Graeca vol. III n. 249. 251. 383, ubi dixit explicandum esse aut Latina ratione 'bonum factum' aut Graeca 'bona fortuna, ἀγαθῇ τύχῃ. Hic quoque titulus etsi Latine scriptus tamen Syriacorum hominum videtur esse: quo item ducit quod v. 6 legitur 'saloute'' Henzenus. — In ultimo versu nomen gentilicium ut Cominius, Cornelius restituendum est. Centianus = Gentianus. Cfr. p. 16, ubi adnotavi, quae Mommsenus de hoc titulo disputavit.

66. Fragmentum tabulae marmoreae effossum ex ruderibus Alexiani coenobii 1750. Extat hodie in impluvio coenobii. CIL VI 409, Lanciani l. c. p. 85 [1], Wilmanns 92, 3

. . . *sace*RDOTES ET CANDIDATI
. . . *con*TVLERVNT IN FABRICA TEMPLI
IVL
'AS · DOMITIVS · SEVERVS · ALEXANDER

Wilmannsius dicit hoc frustum ad titulum nostrae collectionis 65 referendum esse videri.

67. Ara rotunda litteris non bonis. 'In aedd. Io. Coritii ad forum Traianum' Metellus, Smetius; nunc Florentiae. CIL VI 407, S. 61, Wilmanns 92, 2.

Ex iussu I. o. m. D. L. Tettius Hermes cum coiuge sua et filis et omnibus suis cantharum cum vase sua posuerun(t)

In latere:

Sub scriba Fonteio Eutycho.

vase = base.

---

[1] Idem addit '*non so se anche quest' altro frammento rinvenuto nei recenti scavi si riferisca all' istesso affare della contribuzione* IN FABRICA · TEMPLI. *Esso legge*:

. . . . . S · EYLOGIVS
. . . . VS · PRIMVS S
. . . IVS · FLORENTINVS S
MEMMIA · FLORIDA SS

68. 'Apollo nudus, facie muliebri, crine in collo ligato et fasciato, dextra plectrum, sinistra lyram tenens ad truncum stat. In horto card. Caesii' Smetius, Pighius; nunc *im pompejanischen Hause bei Charlottenhof* prope Potsdam. CIL VI 408, S. 34, Wilmanns 92, 1. Statuam aere expressit Beger (ex schedis Pighi, cfr. Iahn l. c. p. 172) spicileg. antiqu. 93, 9.

In trunco:

Ex praecepto I. o. m. D. per Acacium notarium et Olympium patrem.

In basi ipsius statuae:

Antonii Mariani pater et filius simulacrum Apollinis statuerunt.

cum Hermes tituli 67 et Acacius Olympiusque huius tituli in titulo 65, quem in templo Aventinensi extitisse constat, commemorentur, hi quoque tituli ad sacrarium in Aventino situm referendi sunt. Eadem de causa titulos 65, 67, 68 eodem fere tempore positos esse elucet. Quos sacratos esse post M. Aurelium imperatorem demonstrant multi illi homines, qui ab hoc imperatore nomen gentilicium duxerunt, quin etiam tertio non priores esse saeculo verisimile fit, quod titulus 65 litteris admodum inconditis exaratus est atque invocatione incipit, quam a temporis prioris rationibus diversam puto. Certius autem argumentum colligas e frusto 66, si quidem ad titulum 65 pertinet. Nam id propter Domitium Severum Alexandrum, qui in eo nominatur, probabile est post Severum Alexandrum imperatorem scriptum esse.

69. Ara praegrandis, quam in Aventino iuxta aedem S. Sabinae repertam esse testatur Accursius affirmaturque eo, quod sub Aventino ad ripam Tiberis constat fuisse stationem marmorum. CIL VI 410, S. 37, Wilmanns 1377.

I. o. m. D. pro salute Augg(ustorum) nn(ostrorum) L. Septimi Severi Pii Pertinacis et M. Aureli Antonini *Pii Felicis Aug.* et Iuliae Aug. et s(enatus) p(opuli) q(ue) R(omani) Semnus Augg. nn. lib(ertus) optio tabellariorum stationis marmorum aram posuit.

quae dantur inclinatis litteris, reposita sunt pro et Getae Caesaris. Lateri dextro eadem inscriptio incisa fuit. Positus est titulus intra annos 198—209.

70. Ara marmorea. 'In aede divi Alexii' Metellus; nunc in Vaticano. CIL VI 411, S. 14.

Iovi optumo maximo Dolocheno T. Flavius Cosmus iussu dei fecit.

litterae sunt alterius saeculi exeuntis, quod quidem concluserim ex ectypo chartaceo,

71. Parva basis marmorea. Apud eq. de Porta statuarium in via Flaminia prope Maus. Augusti; ab anno 1862 in *Louvre* (collectio Campana). CIL VI 412, Froehner *les museés de France* p. 27 adn. 1, S. 44.

I. o. m. a. D. et Soli digno pres(tantissimo) pro sal. M. Aur. Andronici et Tarquilie Marcelle coiugis et filiorum eius aram posuit ex voto per C. Fab(ium) Germanum sacerd(otem).

a primi versus solvenda est Augusto aut aeterno.

72. Ara marmorea. 'Romae extra portam Latinam recens reperta' Fea. In horreis Vaticanis, ubi integram descripsit Henzenus, postea superior pars in horrea Lateranensia translata, inferior videtur perisse. CIL VI 413, Wilmanns 97.

I. o. S. p. D. et Iunoni sanctae Herae Castorib(us) et Apollini conservatoribus Thyrsus pro salute patroni sui et sua suorumque iussu numinis eorum aram d(edit) salvis candidatis huius loci per C. Fabium Germanum.

in latere sinistro:

ded(icatum) VI idus [o]ct. Peregrino et Aemiliano cos.

'aram. d. d.' Fea, fortasse recte. Hunc et titulum 71 positos per eundem C. Fabium Germanum sacerdotem ad templum Aventinense referendos esse recte statuit Henzenus. 'Qui enim in hoc titulo commemorantur 'candidati huius loci' dubium esse nequit, quin iidem sint ac 'patroni et candidati' quorum in n. 65 mentio facta est'. — Num primus versus I(ovi) o(ptimo) S(oli) p(raestantissimo) D(olicheno) an d(igno) solvendus sit ambigo; certum est Dolichenum intellegendum esse. Commemorantur enim Iuno sancta et Hera ita ut dubium non sit, quin Iuno sancta sit dea una cum Dolicheno saepius coniuncta. Accedit quod titulus per Dolicheni sacerdotem datus est positusque 'salvis candidatis huius loci'. Credibilene est primarium huius loci deum non invocatum esse? Deinceps Solem atque Dolichenum esse eundem deum inde mihi videtur elucere, quod Sol nominatur Iuppiter optumus. Beli autem modo Iuppiter modo Sol appellati sunt a Romanis, cfr. Spart. Carac. 11. fin. — Titulus positus est anno 244.

73. 'Parva marmorea quadrata. In vinea Marii Volat. apud aedem S. Sabinae in Aventino' Accursius. CIL VI 366, S. 7.

Iovi optimo maximo Dolichen(o) Paezon Aquiliaes Bassillaes actor cum Paezusa filia sua d(onum) d(edit).

eiusdem hominis est titulus CIL VI 365: Iunoni Reginae Paezon Aquilliaes Bassillaes actor cum Paezusa filia sua d(ono) d(at).

Tituli in monte Esquilino eruti.

74 *a* et *b*. Duae tabulae marmoreae; ubi inventae sint, exposuit de Rossi: *Annal. dell. instit.* 1858 p. 281; nunc in museo Capitolino. CIL VI 414, S. 46, Wilmanns 91.

a. I. o. D. pro salute imp. L. *Septimi Severi Pii Pertinacis* Aug. Pii Felicis et exercitu(u)m et p(opuli) R(omani) D(ecimus) Iun(ius) Pacatus cum Alexandro fil(io) sacrar(i)um iussu I(ovis) D(olicheni) sua pec(unia) adampliavit c(uram) a(gente) Caecilio Rufo 7, sacerdotib(us) Sopatrus et Marin(us) et Calus ꟻ

b. Item auxit [s]alvo imp. ////////////////////////// Pio Fel. Aug. n(ostro) M. Caecilius M. f(ilius) Iul(ia) Rufus Concord(ia) 7 leg. III Cyrenaicae ex corniculario Aeli Iuliani pr(aefecti) vig(ilum) tetrastylum, nymphaeum, crateram cum columella et altarium cum columella marmorea et aliam columellam item orbiculum cum columella et cetera ornavit i(ussu) D(olicheni) d(onum) d(edit). Dedicavit per Clodium Catullum pr(aefectum) vig(ilum) adsistente Orbio Laetiano subpr(aefecto) et Castricio Honorato trib(uno) coh(ortis) II vig(ilum) pr(idie) Kal(endas) Aug(ustas) Aproniano et Bradua cos, c(uram) a(gente) Herculanio Liberale va[l(etudinario)].

'*a* v. 3 verba SEPTIMI · SEVERI · PII · PERTINACIS in litura reposita sunt'. ꟻ = fratres, cfr. quae supra p. 10 adn. 1 disputata sunt. — '*b* v. 2 post IMP. Ficoronius exhibet: L. SEP · SEVERO · PER, sed scalpro recenti ea deberi asserit Kellermann; hodie insertum est frustulum marmoris habens verba M · AVR COMMODI ANT. Eorum loco prius fuisse nomina Commodi Augusti ostendunt nomina consulum a. 191; eidem autem Augusto, non Septimio Severo, ut statuit Kellermann, etiam titulum *a* dedicatum fuisse cum demonstratur eo, quod *a* titulum titulo *b* continuari apparet et in utroque idem Caecilius Rufus curam agit, tum cognominibus 'Pii Felicis', quae nusquam Septimio Severo attribuuntur' Henzenus. VAL(etudinario) est coniectura Mommseni.

75. '*I monumenti n. 75—78 furono trovati sull' Esquilino il dì 15 Settembre del 1874. Fortuita ne fu la scoperta, e unicamente dovuta alla demolizione di un vecchio muro di pessima costruzione, esistente fra la chiesa di S. Eusebio e l'antica via di porta S. Lorenzo; a piccola distanza dal luogo ove similmente fra i materiali di un' altra parte di muro fu trovato quell' insigne gruppo di lapidi e latercoli militari etc.*' C. L. Visconti *Bullett. munic.* III p. 207. et tab. XXI, 1. Nunc in museo Capitolino in repositis. CIL VI 3698.

Supra aram marmoream, cui inscriptio incisa est, stat in tauro dextrorsum verso deus usque ad umbilicum servatus. Monumentum nunc altum est 0·41.

Iovi Dolicheno T. Aelius Hilarus T. Aeli Hermogenis lib(ertus) d(onum) d(edit).

76. Statua marmorea, alta nunc 0·56 rep. cum n. 75 editaque l. c. p. 208; tab. XXI, 2.

Iuppiter pileo tectus et loricatus, cui desunt pedes a genubus.

77. Monumentum altum 0·55 simul cum n. 75 repertum et editum l. c. p. 210; tab XXI, 3. Nunc in Capitolino. CIL 3699.

In basi rotunda, in qua est inscriptio difficillima lectu, positum est cervi caput ornatum cornubus altis et ramosis, interque ea discus lunaris, cui insidet aquila.

IOVI·DOLICHEN*o*
C·IVLIVS·MARINVS
MILES·CLASSIS
PRAET·MISENENSIS
IIII KALI...

78. Monumentum latum 0·48, repertum cum n. 75 editumque l. c. p. 213; tab. XXI, 4.

Caput tauri aut vituli.

---

79. Basis quadrata lapide Tiburtino, litteris aetatis recentioris. Reperta m. Maio 1861 trans Tiberim prope apsidem ecclesiae S. Mariae '*dell orto*' in cubiculo cuius parietes adhuc stabant quamvis igne corrupti. CIL VI 415, Detlefsen *Bull. dell inst.* 1861 p. 179.

I. o. m. Dolcheno Aurelius Teatecnus filius Hela sacerd(os) d(ono) d(edit).

'Teatecnus = *Θεότεκνος*' Vsenerus; quod nomen legitur Phot. 92b. 39 et Synes. ep. 16. — T pro *Θ* usitatissimum; de littera *a* conferenda sunt nomina ut Theagenes (*Θεαγένεια* Orelli 4547). — Hela videtur signum hominis esse. Nam domum esse (cfr. Steph. Byz. *Ἕλλα, χωρίον Ἀσίας*) non credo, quod nec domo praepositum est nec in talibus inscriptionibus solet indicari domus.

80. 'Ara marmorea. In fine non bene potest legi' Iucundus. 'Apud S. Benedictum in Transtiberi in quodam marmore' Maruc. CIL VI 418, S. 59 et 60. Bursian *Münchener Sitzungsberichte* 1874 p. 154. — Cfr. quae supra p. 27 de ectypo, cui inscriptio incisa fuit, disputavimus.

Iovi o. m. Dolicheno C. Frontinius Nigrinus Lucius aram posuit l(ibens) m(erito).

'v. 2 magis crediderim nationem significari quam praenomen Lucii cognominis loco usurpari' Henzenus.

81. 'In domo Marcelli Capo de ferro' Iucundus CIL VI 416, S. 9.
Iovi Dolicheno M. Au[t]ronius Karicus d(onum) d(edit).
traditur AVERONIVS.

82. 'Cippus marm. litteris aetatis circiter Gallieni Augusti. In hortis cardinalis Caesii' Smetius, nunc in museo Vaticano. CIL VI 417, S. 35.

In parte adversa:
I. o. m. D. Aur(elius) Iulianus eq(ues) R(omanus) sacerdos (h)uius loci d(onum) d(edit).

In latere intuenti sinistro: in latere intuenti dextro:
Aquil. leg. V Maced. Aquil. leg. IIII Scut.
aquila. aquila.

cur legiones commemoratae sint, non intellego. Idem vir dedicavit ectypum (Henzen *Bull. dell. inst.* 1856 p. 110 ff.), quod nunc extat in villa Ludovisi incertae originis. In quo ficta est dea Iunoni similis in cervo dextrorsum gradienti stans, peplo induta, diademate caput ornata, in sinistra elevata sceptrum tenens; dextra manus deest. In basi legitur haec inscriptio:

Iulius Aelius Aur(elius) Iulianus eq(ues) R(omanus) sac(erdos) huius h(uius) l(oci) cum suis omnibus ex voto liviens animo.

lapicidae errore bis scriptum est 'huius'.

83. Ara marmorea. '*Nella villa Fonseca sul monte Celio*' Ficoroni, nunc in museo Vaticano. CIL VI 367, S. 13.

Iunoni sanctae iusso Iovis Dolychen(i) P. Aelius Miron neg(otiator) d(onum) d(edit).

In latere litteris minoribus:
dedic(atum) pr(idie) id(us) Mart(ias) imp(eratore) [M]ACRIN[o] Aug(usto) cos et Oclatinio Advento.

titulum anni 218 esse docet nomen Macrini, quod in lapide clarius legitur, quam Henzenus in CIL adnotavit.

84. Monumentum, quod Ligori tempore Romae extabat. Quale fere fuerit, supra p. 29 exposuimus.


3 0112 115883214